

LIBER

PRECUM PUBLICARUM

Ecclesiae Anglicanae.

In hac Editione continentur Versiones Latinæ

1. LIBRI PRECUM PUBLICARUM ECCLESIÆ ANGLICANÆ.
2. LITURGIÆ PRIMÆ REFORMATÆ.
3. LITURGIÆ SCOTICANÆ.
4. LITURGIÆ AMERICANÆ.

LIBER

PRECUM PUBLICARUM

Ecclesiae Anglicanae

A GULIELMO BRIGHT, S.T.P.

ÆDIS CHRISTI APUD OXON. CANONICO, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORE REGIO

ET

PETRO GOLDSMITH MEDD, A.M.

COLLEGII UNIVERSITATIS APUD OXON. SOCIO SENIORE

LATINE REDDITUS

EDITIO TERTIA

CUM APPENDICE

RIVINGTON

Londini, Oxonii, Cantabrigiæ

1877

PRO UNITATE.

Oratio.

DEUS, Pater Domini nostri Jesu Christi, unici Salvat nostri, Principis Pacis; Da nobis, quæsumus, grat tuam, ut quanta per miseras nostras contentiones pericula inc mus seriò in cordibus nostris recogitemus. Odium et præj cium prorsus aufer a nobis, et cætera omnia piæ unitati concordiæ impedimenta; ut quibus unum est Corpus, u Spiritus, una Spes vocationis nostræ, unus Dominus, una Fi unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium, ex hoc cor et unum sit et anima una; quatenus, uno sancto Veritatis et P vinculo consociati, unanimes, uno ore, honorificemus Te. Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

(*Oratio ista Officio Proprio quod in Die Anniversario A sionis Regis Angliæ dicendum assignatur anno MDCC primum addita est.*)

Ad Lectorem.

ibi in manus, Christiane lector, Librum Precum
ım, quo hodie Ecclesia Anglicana utitur, Latine

ıem nostram juxta Exemplar Recensionis anno
I factæ, vulgo appellatum 'The Sealed Book,'
Articuli, quos vocant, Fidei et Religionis non
ur,) fecimus; nisi quod placuit, primo, Regulas
; Mobilibus, utpote in hujusmodi opere minus
as, prætermittere; et secundo, mutationes, post
ensionem factam, auctoritate legitima sancitas
:. Quarum mutationum exemplo est juramentum
ıa Regiæ Majestatis in hoc regno potestate;
cusque in ipso Ordinationis ritu ab omnibus
s vel consecrandis exactum, hoc ipso anno Auc-
m Ecclesiastica quam Civilis, alio seorsim tem-
endum decrevit.

ii, quod secundum "Usum insignis et præclaræ
ensis Ecclesiæ" distinximus, Epistolarum et
orum, cæterorumque omnium Sacræ Scripturæ

locorum vel locutionum, Vulgatum Textum hodie receptum exhibuimus.

Orationes, aliasque formulas, quas, e Breviariis vel Missalibus, aliisve Libris olim apud majores nostros in re Divina facienda usitatis, desumptas, Ecclesia in recensione antiquorum suorum Officiorum conservavit, omnes secundum textum veterem Latinum reddidimus.

Quodcunque recentioris addidit, in sermonem veteri Ecclesiæ Occidentalis linguæ quam proxime consentaneum redegimus.

Librum Latinum Publicarum Precum, anno MDLX°, ad usum "Collegiorum Cantabrigiæ, Oxoniæ, Wintoniæ, et Etoniæ," primo editum, in nostra versione conficienda non negleximus; nec tamen omnino imitandum putavimus, quippe qui nec publicam Ecclesiæ auctoritatem præ se ferret, nec, novis postea recensionibus factis, cum hodierno Libro satis consentiret.

Verbum 'Priest' visum est verbo 'Presbyter' eis in locis reddere ubi de ordine eorum ageretur qui in Ministerio Christi inter Episcopos et Diaconos locum habent; ubi autem de ipsa ministerii eorum exsecutione, verbo 'Sacerdos.'

Non possumus nobis persuadere quin permultis e Clero Anglicano pergratum foret, multis etiam piis studiosisque in Universitatibus et Collegiis nostris commorantibus, immo laicis nonnullis pie ac liberaliter in sinu Ecclesiæ

nostræ educatis, quotidianas Ecclesiæ psallendi et orandi formulas, in linguam tot per sæcula apud Occidentales vigentem redditas, manibus versare. Gratum etiam fore putavimus ea ipsa verba, (id quod plurimis in formulis accidit,) ante oculos habere quæ, a Doctoribus clarissimis, (quales fuere Leo ille Magnus, Evangelicæ veritatis propugnator illustris, et Gregorius, Magnus et ipse, qui gentem Anglorum Christo mancipavit,) originem ducentia, antecessoribus nostris, Bedæ Venerabili, Ælfredo Magno regi, sanctis episcopis Osmundo et Anselmo, cæterisque multa per sæcula, in pio cum cœlis commercio cordi fuere.

Speramus etiam hoc opus nostrum, si quorum doctiorum in manus venerit Christianorum, aut ex eis qui Ecclesiæ vel Latinæ vel Orientali aggregati sunt, aut ex aliis, quicunque sint, qui "æternæ Trinitatis gloriam agnoscunt et in potentia Majestatis adorant Unitatem," qui "Unigenitum Dei Filium in veritate nostri corporis natum de Matre Virgine confitentur," veriorem Ecclesiæ Anglicanæ imaginem eorum charitati oblaturum esse, et demonstraturum eam tum Fidem vere Catholicam, tum regimen vere Apostolicum et primitivum, fideliter conservasse.

Misereatur Deus, precamur, universæ Ecclesiæ suæ; et omni, quantuluscunque sit, faveat conatui, qui faustum illum felicemque diem, tot votis, tot suspiriis exoptatum, maturare possit, cum iterum fideles totius Orbis Christiani "cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti sint servare unitatem Spiritus in vinculo pacis."

Ad Lectorem.

Restat ut viris reverendis Joanni Jebb, Gulielmo J. Blew, et R. F. Littledale, qui huic versioni corrigendæ lubenti animo operam dederunt, amplissimas gratias referamus.

GUL. BRIGHT.
P. G. MEDD.

Oxonii,
In Festo S. Michaelis et Omnium Angelorum.
MDCCCLXV.

In hac tertia Editione, novas pro veteribus substitui Tabulas Lectionum. Subjunxi etiam, in Appendice, Versiones Latinas

(*a*) Liturgiæ primæ Reformatæ, anno MDXLIX editæ;—
(*b*) Liturgiæ Scoticanæ;—
(*c*) Liturgiæ Americanæ.

P. G. MEDD.

North Cerney, prope Cirencester.
MDCCCLXXVII.

LIBER
PRECUM PUBLICARUM

ET ADMINISTRATIONIS

SACRAMENTORUM

ALIORUMQUE ECCLESIÆ RITUUM CÆREMONIARUMQUE

SECUNDUM USUM

Ecclesiae Anglicanae

CUM

PSALTERIO DAVIDICO

EUM IN MODUM QUO IN ECCLESIIS VEL CANTANDUM VEL DICENDUM EST DISTINCTO;

ACCEDIT

ORDO ET RITUS

FACIENDI, ORDINANDI, CONSECRANDI,

EPISCOPOS, PRESBYTEROS, ET DIACONOS.

In Hoc Libro Contenta Sunt

Praefatio.

EA fuit Ecclesiæ Anglicanæ prudentia, post Liturgiam ejus primo compositam, ut medium cursum constanter servaret, ne aliquam in ea mutationem aut pertinacius aversaretur, aut facilius admitteret. Ut enim hoc plerumque in rebus compertum est, cum rerum consulto institutarum, nullam necessariam ob causam, mutatio facta sit, varia incommoda exorta esse, eaque tum plura, tum etiam graviora quam ipsa fuere mala quibus mutatione ista remedium afferendum erat; ita contrario, cum formas speciales Officii Divini, ritusque et cærimonias in eo celebrando adhibendas, utpote sua natura minoris momenti, mutabiles esse in confesso sit; æquum videtur, si temporum necessitas opportunitasque ita requirat, graves ob causas, nonnulla ex iis aliam in formam interdum mutari, prout iis qui auctoritatem habeant vel commodum vel necessarium identidem visum fuerit. Itaque constat Ecclesiam, per regna Principum nonnullorum piæ memoriæ post Ecclesiam reformatam, justis quibusdam seriisque causis concitam, non abnuisse quin nonnulla ita immutaret, prout tunc temporis æquum habuerit: ita tamen ut summa rei in omnibus essentialibus, quoad et materiam et formam ordinemque rerum, hunc usque in diem eadem semper permanserit, atque jam adhuc firma atque immota maneat; licet eam sæpe aggressi sint, atque frustra expugnare conati, rerum novarum sectatores, qui propriis opinionibus propriisque commodis magis quam officio suo erga Rempublicam semper studuerunt.

Quibus iniquis modis, et quam pravo consilio, Liturgiæ usus, Regni legibus, iisque minime abrogatis, præscriptus, inter recentes infaustos tumultus exciderit, et omnes satis sciunt, et nos in memoriam revocare nolumus. Regia autem Majestate feliciter restituta, hoc inter alia exspectandum videbatur, Liturgiam, nullis legibus abrogatam, in usum necessario rursus venturam *esse, nisi ei maturius inter*cessum fuerit. Ii igitur qui,

dum Rempublicam tyranni opprimebant, operam maximam dederant ut a Liturgia animos hominum averterent, sua tum fama tum re interesse viderunt, vel aperte se errasse fateri (id quod huic hominum generi vix persuaderi potest) vel summa vi ei ne restitueretur obstare. Quem in finem in variis libellis, contra Librum Precum Publicarum editis, veteres conscriptæ sunt animadversiones, novæque additæ, eæque plures, quam antea, ut numerum in majus explerent. Denique a Sacra Regis Majestate instanter quæsitum est, ut illius Libri recensione facta, alia corrigerentur, alia vero adjicerentur quæ infirmas quorumdam conscientias sedatura viderentur. Quibus precibus Rex, qui pro pietate sua omnibus subditis suis, quamcunque opinionem sectantibus, quantum par erat, satisfacere voluit, benigne consensit.

Qua in Recensione eam studuimus servare moderationem, quam semper in ista re olim servatam invenimus. Quamobrem ex diversis mutationibus quæ nobis propositæ sunt, eas omnes improbavimus quæ vel infaustum eventum habituræ videbantur (quippe quibus Ecclesiæ Anglicanæ, immo totius Ecclesiæ Christi Catholicæ, vel doctrina constans vel laudabilis consuetudo occulto peteretur), vel nullius prorsus momenti erant, sed meræ nugæ inanes. Eas vero mutationes (a quibuscunque, quemcunque in finem, quocunque prætextu propositas) quæ nobis vel commodæ vel necessariæ visæ sunt, nos ipsi sponte et ultro admisimus. Quod ut faceremus, nulla coacti sumus rationum vi quæ nobis istarum correctionum necessitatem ingererent: animis enim nostris hoc penitus persuasum habemus, et coram omnibus hominibus profitemur, Libro illi antea legibus sancito nihil Dei Verbo, nec sanæ doctrinæ, contrarium inesse, vel quod vir pius sine injuria conscientiæ exsequi et amplecti nequeat, vel quod contra omnes adversantes bene defendere non possimus: si modo in eo interpretando adhibeatur æquitas qualis omnibus humanis scriptis, iis præsertim quæ publica auctoritate proferuntur, immo præstantissimis ipsius Sacræ Scripturæ versionibus, communi jure debetur.

In hac igitur re gerenda hoc in omnibus proposuimus nobis, nec huic nec illi, supra modum quodcunque fuerit flagitanti, factioni morigerari: sed id facere quod nobis, summo consilio æstimantibus, pacem et unitatem intra Ecclesiam præcipue servaturum videretur: et quod in Dei cultu publico animos hominum ad pietatem et reverentiam excitaret, occasionemque amputaret eorum qui cavillandi volunt occasionem et contra Ecclesiæ Liturgiam querendi. Quod ad ea in quibus hic Liber *a priori, vel* quibusdam mutatis, vel additis, vel alioqui dis-

crepet, ita summam rei satis sit exponere. Mutationum majorem partem admisimus, vel primo, ad eos qui in Officio Divino aliquid executuri sint melius dirigendos; quod in Rubricis plerumque fit et in Kalendariis : vel secundo, ut aliis pro vocibus vel locutionibus antiquioris usus reponerentur verba hodiernæ dictioni propiora, aliæ vero, quæ aut propter ambiguitatem aut aliter prave intelligi possent, clarius explicarentur : vel tertio, ut Sacræ Scripturæ Lectiones quæ in Liturgia inseruntur perfectius redderentur, tum in Epistolis Evangeliisque, tum in aliis diversis locis, quæ posthac secundum versionem proxime editam sunt legendæ. Commodum etiam visum est orationes quasdam et gratiarum actiones, diversis rebus et temporibus aptas, propriis in locis inserere ; inter quas invenientur Orationes navigantibus propriæ, et Ordo Baptismi Adultorum, qui, eo forsitan tempore quo prior compositus est Liber haud ita desiderandus, crescente tamen Anabaptistarum secta propter licentiam temporibus proxime antecedentibus apud nos ingruentem, jam tandem necessarius visus est, et ad baptizandos indigenas in Coloniis nostris, et alios ad Fidem conversos, semper usui erit. Si quis autem ea omnia quæ in qualibet Liturgiæ parte mutata fuerunt, perfectius enucleanda cupiet, hunc Librum cum priore accurate componat, quod si faciat, causam mutationis eum facile intellecturum non dubitamus.

Denique, in hac gravissima re officio nostro ut in conspectu Dei fungi, et bonam nostram fidem pro virili conscientiis omnium probare conati, haud tamen ignoramus quod, dum homines rem eamdem tam diverse accipiant, immo tam diversa studeant, nullo modo omnibus satisfacere possimus : nec hominibus ingenio ambitiosis, morosis, et contumacibus, quidquam hujusce generis arrisurum speramus, nisi quod sit ab ipsis confectum. Omnes tamen veros Ecclesiæ Anglicanæ filios, quorum sobria et pacifica mens est, et pura conscientia, id quod iis in manus tradimus, a Synodo utriusque Provinciæ summa diligentia inspectum et approbatum, et ipsos bono animo accepturos et approbaturos esse confidimus.

De Officio Divino.

NIHIL humano elaboratum ingenio tam exactum initio unquam fuit, quin postea corrumperetur: id quod et in aliis rebus contigisse videmus, et in forma Publicarum Ecclesiæ Precum, quæ Officium Divinum vulgo appellatur. Cujus de prima origine ac ratione si quis apud Patres veteres inquirere voluerit, inveniet eam nonnisi optimo consilio scilicet pietatis promovendæ, institutam esse. Illi enim ita rem instituerunt, ut tota Biblia, vel plerique libri ejus, semel singulis annis perlegerentur: hoc consilio, ut Clerici sacris initiati, ii præsertim qui in congregatione ministrarent, frequenti lectione et meditatione Verbi Dei et ipsi magis ad pietatem excitarentur, et potentiores fierent alios exhortari in doctrina sana, et veritati contradicentes arguere: denique, ut populus, dum Sacras Scripturas in Ecclesia lectas quotidie audiret, magis magisque in Dei cognitione proficeret, et ad veræ religionis studium et amorem accenderetur.

Sed multis abhinc annis, sancta illa et honesta Patrum veterum instituta ita neglecta, mutata, et corrupta sunt, accessione incertarum historiarum et legendarum, et plurium Responsoriorum, Versuum, et inutilium repetitionum, Commemorationum, et Constitutionum Synodalium: ut fere semper alicujus libri Scripturæ incepti tribus aut quatuor capitibus publice lectis, reliqua omitterentur. Ita, exempli gratia, liber Esaiæ in prima Dominica Adventus incipiebatur, et in Dominica Septuagesimæ liber Geneseos: sed incipiebantur tantum, et nunquam perlegebantur: eundem ad modum alii etiam Sacræ Scripturæ libri tractabantur. Præterea, licet Beatus Paulus ea lingua omnia in ecclesiis coram populo peragi voluerit, quam intelligere potuerit, et audiendo profecerit; multis tamen abhinc annis Officium Divinum in hac Ecclesia Anglicana publice in lingua Latina recitabatur, quam populus ignorat: quo, dum auribus tantum audiebat, corde, spiritu, ac mente ædificationem capiebat nullam. Porro, Psalterio a Patribus veteribus in septem partes diviso, quarum unaquæque *Nocturnus* nominabatur, jam nuper, Psalmorum plerisque omissis, pauci singulis fere diebus repetebantur. Accedebant regularum, quas *Picam* vocant, et numerus et difficultas, et variæ in officio mutationes, immo in libro ipso revolvendo tam perplexus ordo, ut sæpe paulo minor opera in requirendo poneretur, quam cum inventum esset in legendo.

Quibus incommodis animadversis, jam ejusmodi prodit Ordo, per quem corrigantur. Et ut omnia sint in promptu, præfixum

est Kalendarium facile intellectu, in quo (quantum fieri potuit) totius Scripturæ Sacræ lectio ita in justo ordine disposita est, ut locorum in sacris libris conjunctorum nulla fieret interruptio. Quam ob causam omissa sunt Antiphonæ, Responsoria, et Invitatoria, et alia quædam similia, quæ continuum sacræ lectionis cursum disjungebant.

Cum autem fieri non possit, quin aliquæ necessario sint regulæ, huic operi præfixæ sunt regulæ nonnullæ, ut numero paucæ, ita intellectu faciles. Itaque datur in manus Ordo precum et lectionis Sacræ Scripturæ, tum veterum Patrum animo et instituto conveniens, tum multo commodior atque utilior quam fuit ille qui antea in usu erat. Utilior sane est, ut e quo expurgantur plurima quæ vel falsa sunt, vel incerta, vel vana ac superstitiosa: nec quidquam superest legendum præter ipsum purum Dei Verbum, id est, Sacras Scripturas, vel quod iis consentaneum est: idque hoc ordine, illo idiomate, quibus et a lectoribus et auditoribus facillime et planissime intelligi possit. Commodior autem est, quippe qui perquam brevis simplexque sit, regulasque contineat paucas, easque faciles.

Præterea, cum antehac et in dicendo et in cantando magna fuerit diversitas in hujusce regni ecclesiis, quarum aliæ usum Sarisburiensem, aliæ Herefordiensem, aliæ Bangorensem, aut Eboracensem, aut Lincolniensem sequebantur, ex hoc tempore in universo regno unus tantum valebit Usus.

Quoniam vero nihil clarius proponi potest, quam ut interdum in ejusdem usu exoriantur disputationes; igitur, quo omnis disputatio sedetur, et omnis, si qua exorta fuerit, resolvatur dubitatio, quomodo vel intelligenda vel facienda sint quæ in hoc libro continentur, ii qui de aliqua re dubitant vel disputant ad Episcopum Diœceseos semper sese recipiant, qui prudentia sua rem pacifice adjudicandum curabit: modo nihil constituat, quod cum hac ordinatione pugnet. Si autem Episcopus Diœceseos in dubio hæserit, rem ad Archiepiscopum solvendam remittat. (1560.*)

QUAMQUAM ordinatum sit ut in Ecclesia omnia Anglice legantur et cantentur, quo populus ædificetur; minime tamen prohibetur, quin quibuslibet Matutinas et Vesperas privatim dicentibus, liceat in qualibet lingua sibimet ipsis cognita eas dicere.

Item, omnes Sacerdotes et Diaconi Matutinas et Vesperas quotidie vel privatim vel publice dicere tenentur, nisi ægritudine vel alia gravi causa impediantur.

Parochus autem, qui in qualibet ecclesia Parochiali vel Capella ministrat, in eadem, nisi peregre sit, vel aliter rationabiliter impeditus, officium dicet : et ad id annuntiandum paulo ante quam incipiat campanam pulsandam curabit, quo populus ad Dei verbum audiendum et cum eo orandum convenire possit.

De Caerimoniis,

ET QUA RATIONE ALIÆ ABROGATÆ, ALIÆ RETENTÆ SUNT.

CÆRIMONIARUM quibus ex institutione humana oriundis utitur Ecclesia, aliæ quidem, primo nonnisi pio ac sincero consilio confictæ, postea in vanitatem et superstitionem sunt conversæ : aliæ vero, quas induxit pietas quædam minus prudens, et æmulatio Dei quæ secundum scientiam non erat, dum in iis recenter exortis homines connivebant, magis magisque indies in eam declinabant pravitatem, quæ, quia non modo inutilis erat, sed etiam populum prorsus occæcabat, Deique gloriam obscurabat, jam tandem penitus recidenda est ac rejicienda. Nonnullæ autem sunt Cærimoniæ, quas licet ab hominibus conceptas etiamnunc conservare visum est, tum ad Officium Ecclesiasticum decenter ordinandum (quem in finem primitus sunt excogitatæ) tum quia ad ædificationem pertinent, ad quam, ut docet Apostolus, omnia quæ in Ecclesia fiunt sunt referenda.

Et quamquam Cærimoniam quamdam vel servare vel omittere res sit parvi per se momenti ; ordinem tamen communem et disciplinam consulto negligere ac contemnere non leve est coram Deo peccatum. "Omnia apud vos," inquit B. Paulus, "honeste et secundum ordinem fiant." Quem quidem ordinem constituere non privati cujusquam est ; neminem ergo decet id sibi sumere, ut quidquam in publico et communi Ecclesiæ Christi ordine vel instituat, vel immutet, nisi ad hoc legitimam acceperit potestatem.

Cum autem, hisce nostris temporibus, ita in diversa trahantur hominum mentes, ut his, antiquas consuetudines nimis diligentibus, religio sit vel minimam quidem Cærimoniam levissima ex parte imminuere ; illi vero novis rebus ita studeant, ut omnia velint innovare, et antiqua ita despiciant, ut nihil eis arrideat nisi nova ; nobis minus curæ fuit vel his vel illis placere et satisfacere, quam et omnibus prodesse, et placere Deo. Attamen ne quis offendatur, cui bonæ rationes satisfacere possint, causas

quasdam, cur e consuetis Cærimoniis aliæ abrogentur, aliæ vero conserventur, visum est subjungere.

Abrogantur nonnullæ, quia nimia earum multitudo in tantum his in sæculis posterioribus concrevit, ut oneri facta sit intolerabili. De quibus B. Augustinus olim conquerebatur, eas in tantum auctas esse numerum, ut jam tolerabilior esset Judæorum conditio quam populi Christiani. Quod quidem jugum et onus ut paullatim tolleretur monuit, prout facultas tribueretur. Quid autem Sanctus ille dicturus esset, si Cærimonias apud nos nuper usitatas vidisset, quibus illarum tum temporis vigentium multitudo non est comparanda?

Hoc nimium apud nos Cærimoniarum incrementum tam ingens erat, et earum complures ita obscuræ, ut Christi beneficia in nos collata tenebris sæpius involvere, quam nobis in lucem proferre viderentur. Præterea, non ex Cærimoniis, sicut magna ex parte Lex Mosaica, constat Christi Evangelium: sed religio est, in qua non in figurarum servitute et umbrarum, sed in libertate Spiritus, colendus est Deus; et eas tantum poscit Cærimonias quæ ordini decenti et piæ disciplinæ inserviant, et quæ speciali quadam et evidenti significatione mentes hominum obtusas in memoriam officii eorum erga Deum ad eorum ædificationem excitare possint. Porro, cur quædam abrogatæ fuerint Cærimoniæ, hæc gravissima erat causa, quod ita in pejus sunt corruptæ, tum hominum rudium et indoctorum cæcitate superstitiosa, tum eorum avaritia insatiabili qui proprium suum lucrum magis quam Dei gloriam quærebant, ut, dum res ipsa superesset, rei abusus tolli nequiret.

Quod autem eos attinet, quibus offensioni erunt nonnullæ e Cærimoniis antiquis adhuc servatæ; si hoc secum reputare velint, quod Cærimoniis prorsus abjectis nullus servari possit ordo, nulla in Ecclesia sana et tranquilla disciplina, bonam facile intelligent causam esse cur sententiam suam in melius mutent. Qui, si ægre ferant quidquam antiqui adhuc manere, et omnia de novo conficta malint, utique Cærimoniis quibusdam opus esse fatentes, sine mera ac manifesta insipientia non possunt antiqua propter ipsam antiquitatem improbare. Ea enim potius propter antiquitatem venerari debent, si modo magis unitatis et concordiæ studium præ se ferre velint, quam rerum novarum ac inusitatarum, quæ, quantum fieri possit, salva Christi religionis sincera prædicatione, semper vitandæ sunt.

Præterea, nihil est cur eæ hominibus offensioni sint quas servavimus Cærimoniæ. Cum enim illæ abrogentur quæ maxime in pejus detorsæ conscientias hominum nequidquam onerabant: ita quæ supersunt propter disciplinam retinentur et ordinem

qui, (modo justa adsit causa,) mutari potest, atque ideo non sunt pari ratione ac Lex Divina æstimandæ. Quæ autem Cærimoniæ, cum nec mutæ nec obscuræ sunt, ita proferuntur, ut quisque satis intelligere possit et quid significent et cui fini inserviant. Has igitur posthac sicut cæteras fore corruptas non est expectandum. Quibus in rebus apud nosmetipsos agendis nec alias quaslibet improbamus gentes, nec aliquid nisi nostro tantum populo præscribimus; æquum enim censemus unamquamque gentem eas usurpare Cærimonias quas ad Dei gloriam prædicandam, et ad homines in sinceram pietatem, erroris et superstitionis expertem, reducendos, aptissimas reputaverit: dum ea modo deponat quæ maxime corrupta esse (id quod rebus humano consilio institutis diverse in regionibus diversis accidit) identidem senserit.

¶ Ordo Legendi Psalterium.

TOTUM Psalterium perlegatur singulis mensibus, ad Matutinas et ad Vesperas, ut in Psalterio notatur. In mense Februarii autem nonnisi ad diem vicesimum octavum vel vicesimum nonum legatur.

Et cum mensibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Augusti, Octobris, et Decembris dies sint unus et triceni; Constitutum est, ut iidem legantur Psalmi in ultimo die harum mensium qui in die proxime præcedente legebantur; ut iterum incipiatur Psalterium in die primo mensis sequentis.

Quia vero Psalmus cxix. in xxii. periodos est divisus, et prolixior est quam ut uno tempore legatur; Constitutum est, ut una vice quatuor aut quinque periodi tantum legantur.

Et in fine uniuscujusque Psalmi, vel periodi Psalmi cxix. recitetur semper hic Hymnus,

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Nota, quod Psalterii Versio [Anglica] secundum Hebræos divisa, ea est quam habet magna illa Biblia Anglica, temporibus Henrici Regis Octavi et Edvardi Sexti edita atque usurpata.

¶ Ordo in Reliqua Sacra Scriptura Legenda Servandus.

VETUS Testamentum pro Lectionibus primis ad Matutinas et ad Vesperas ita assignatur, ut major ejus pars semel unoquoque anno legatur, sicut in Kalendario ordinatur.

Novum Testamentum pro Lectionibus Secundis ad Matutinas et ad Vesperas ita assignatur, ut bis unoquoque anno ordine præscripto legatur, mane semel et vespere semel, præter Epistolas et Evangelia; excepta autem Apocalypsi, quo ex libro nonnisi quædam Lectiones in fine anni et quædam Lectiones Propriæ Festis quibusdam assignantur.

Ut autem scias quæ Lectiones quolibet die legi debeant, quære diem mensis in sequenti Kalendario; istic enim Capita et Capitum partes invenies Lectionum quæ et ad Matutinas et ad Vesperas sunt legendæ; nisi in Festis Mobilibus, quæ non Kalendario insunt, et in Festis Immobilibus, quæ in Kalendario Lectione carent, quibus omnibus diebus suæ invenientur Lectiones Propriæ in Tabula Lectionum Propriarum.

Si Vesperæ bis in aliqua Dominica horis diversis dicantur in eodem orationis loco (nisi in Dominica cui in Tabula duæ specialiter assignantur Secundæ Lectiones quarum utramvis legere licet) pro Lectione Secunda ad horam posteriorem legatur vel Caput aliquod e quatuor Evangeliis, vel Lectio aliqua e quatuor Evangeliis in Tabula Lectionum assignata, ad arbitrium ministri.

In occasionibus, Ordinario approbandis, alias Lectiones, eo consentiente, substituere licet earum loco quæ in Kalendario assignantur.

Sciendum est etiam, quod quandocunque vel Psalmi Proprii vel Lectiones assignantur, Psalmi vel Lectiones Feriales in Psalterio vel in Kalendario præscriptæ, si fuerint diversæ, omittentur pro hac vice.

Item, Sciendum est quod in occasionibus Ordinario approbandis, Psalmos alios, eo consentiente, substituere liceat eorum loco qui in Psalterio assignantur.

Si Dierum Festorum aliquis quibus Lectiones Propriæ in Tabula Lectionum assignantur in Dominicam inciderit quæ vel sit Dominica Prima Adventûs, vel Dies Paschæ, vel Dies Pentecostes, vel Dominica Trinitatis, Lectiones istius Dominicæ legantur; sin in aliam quamlibet Dominicam inciderit, Lectiones vel Dominicæ vel Festi legi possunt ad arbitrium ministri.

Item, Sciendum est quod Oratio, Epistola, et Evangelium de Dominica per totam Hebdomadam repetenda sunt, nisi aliter in hoc Libro ordinatum fuerit.

LECTIONES PROPRIÆ

DOMINICIS DIEBUS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS	
In Dominicis Adventus.			
Prima	Isaiæ 1	Isaiæ 2	sive Is
Secunda	5	11, ad *v.* 11	,,
Tertia	25	26	,,
Quarta	30 ad *v.* 27	32	,,
In Dominicis post Nativitatem.			
Prima	35	38	,,
Secunda	42	43	,,
In Dominicis post Epiphaniam.			
Prima	51	52, *v.* 13 et 53	,,
Secunda	55	57	,,
Tertia	62	65	,,
Quarta	Job 27	Job 28	,, Jo
Quinta	Prov. 1	Prov. 3	,, Pr
Sexta	9	11	,,
Septuagesimæ	Gen. 1 et 2, ad *v.* 4	Gen. 2, *v.* 4	,, Jo
Lectio secunda	Apoc. 21, ad *v.* 9	Apoc. 21, *v.* 9 ad 22, *v.* 6	
Sexagesimæ	Gen. 3	Gen. 6	sive G
Quinquagesimæ	9, ad *v.* 20	12	,,
In Dominicis Quadragesimæ.			
Prima	19 *v.* 12, ad *v.* 30	22, ad *v.* 20	,,
Secunda	27, ad *v.* 41	28	,,
Tertia	37	39	,,
Quarta	42	43	,,
Quinta	Exod. 3	Exod. 5	,,
Sexta	9	10	,,
Lectio ii	Matt. 26	Luc. 19, *v.* 28	,, L
In Die Sancto Paschæ	Exod. 12, ad *v.* 29	Exod. 12, *v.* 29	,, E
Lectio ii	Apoc. 1, *v.* 10 ad *v.* 19	S. Joan 20, *v.* 11 ad [*v.* 19	,, A
In Dominicis post Pascha.			
Prima	Numer. 16, ad *v.* 36	Numer. 16, *v.* 36	,, Nu
Lectio ii	1 ad Cor. 15, ad *v.* 29	Joan. 20, *v.* 24 ad *v.* 30	
Secunda	Numer. 20, ad *v.* 14	Num. 20 *v.* 14 ad [21, *v.* 10	sive N
Tertia	22	23	,,
Quarta	Deuter. 4, ad *v.* 23	Deut. 4, *v.* 23 ad *v.* 41	,, D
Quinta	6	9	,,

LECTIONES PROPRIÆ DOMINICIS DIEBUS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.		
In Dominica post Ascensionem...............	Deuter. 30	Deuter. 34	sive	Josue 1
In Die Pentecostes.......	16, ad v. 18	Isaiæ 11	,,	Ezech. 36, v. 25
Lectio ii............	Ad Rom. 8, ad v. 18	Ad Galat. 5, v. 16	,,	Actu. 18, v. 24 [ad 19, v. 21
In Dominica Trinitatis......................	Isaiæ 6, ad v. 11	Genes. 18	,,	Gen. 1 et 2, ad
Lectio ii............	Apocal. 1, ad v. 9	Ad Eph. 4, ad v. 17	,,	Matt. 3 [v. 4
In Dominicis post Trinitatem.				
Prima................	Jos. 3, v. 7 ad 4, v. 15	Jos. 5, v. 13 ad 6, v. 21	,,	Josue 24
Secunda	Judicum 4	Judicum 5	,,	Judicum 6, v. 11
Tertia..	1 Reg. 2, ad v. 27	1 Reg. 3	,,	1 Reg. 4, ad v. 19
Quarta...............	12	13	,,	Ruth 1
Quinta...............	15, ad v. 24	16	,,	1 Reg. 17
Sexta.	2 Reg. 1	2 Reg. 12, ad v. 24	,,	2 Reg. 18
Septima..............	1 Paral. 21	1 Paral. 22	,,	1 Par. 28 ad v. 21
Octava...............	29, v. 9 ad v. 29	2 Paral. 1	,,	3 Reg. 3
Nona.................	3 Reg. 10 ad v. 25	3 Reg. 11, ad v. 15	,,	11, v. 26
Decima..............	12	13	,,	17
Undecima	18	19	,,	21
Duodecima..........	22, ad v. 41	4 Reg. 2, ad v. 16	,,	4 Reg. 4, v. 3
Tertia decima.......	4 Reg. 5	6, ad v. 24	,,	7 [ad v. 38
Decima quarta......	9	10, ad v. 32	,,	13
Decima quinta......	18	19	,,	23, ad v. 31
Decima sexta........	2 Paral. 36	Neh. 1 et 2, ad v. 9	,,	Nehem. 8
Decima septima.....	Jerem. 5	Jerem. 22	,,	Jerem. 35
Duodevicesima......	36	Ezech. 2	,,	Ezec. 13, ad v. 17
Undevicesima.......	Ezech. 14	18	,,	24, v. 15
Vicesima.......... .	34	37	,,	Daniel 1
Vicesima prima.	Daniel 3	Daniel 4	,,	5
Vicesima secunda...	6	7, v. 9	,,	12
Vicesima tertia.	Osee 14	Joel 2, v. 21	,,	Joel 3, v. 9
Vicesima quarta.....	Amos 3	Amos 5	,,	Amos 9
Vicesima quinta.....	Mich. 4 et 5, ad v. 8	Mich. 6	,,	Mich. 7
Vicesima sexta......	Habac. 2	Habac. 3	,,	Sophon. 3
Vicesima septima....	Eccles. 11 et 12	Aggæi 2, ad v. 10	,,	Malach. 3 et 4

NOTA.—Quod Lectiones quæ in Tabula præcedenti Dominicæ post Trinitatem Vicesimæ Septimæ assignantur in Dominica proxima ante Adventum semper legentur.

LECTIONES PROPRIÆ
DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
S. Andreæ.		
Lectio i.	Isaiæ 54	Isaiæ 65, ad *v.* 17
Lectio ii.	Joan. 1, *v.* 35 ad *v.* 43	Joan. 12, *v.* 20 ad *v.* 42
S. Thomæ.		
Lectio i.	Job 42, ad *v.* 7	Isaiæ 35
Lectio ii.	Joan. 20, *v.* 19 ad *v.* 24	Joan. 14, ad *v.* 8
In Die Nativitatis DOMINI.		
Lectio i.	Isaiæ 9, ad *v.* 8	Isaiæ 7, *v.* 10 ad *v.* 17
Lectio ii.	Luc. 2, ad *v.* 15	Tit. 3, *v.* 4 ad *v.* 9
S. Stephani.		
Lectio i.	Gen. 4, ad *v.* 11	2 Paral. 24, *v.* 15 ad *v.* 23
Lectio ii.	Actu. 6	Actu. 8, ad *v.* 9
S. Joannis Evangelistæ.		
Lectio i.	Exod. 33, *v.* 9	Isaiæ 6
Lectio ii.	Joan. 3, *v.* 23 ad *v.* 36	Apocal. 1
SS. Innocentium	Jerem. 31, ad *v.* 18	Baruc. 4 *v.* 21 ad *v.* 31
Circumcisionis.		
Lectio i.	Gen. 17, *v.* 9	Deut. 10, *v.* 12
Lectio ii.	Rom. 2, *v.* 17	Col. 2, *v.* 8 ad *v.* 18
Epiphaniæ.		
Lectio i.	Isaiæ 60	Isaiæ 49, *v.* 13 ad v. 24
Lectio ii.	Luc. 3, *v.* 15 ad *v.* 23	Joan. 2, ad *v.* 12
Conv. S. Pauli.		
Lectio i.	Isaiæ 49, ad *v.* 13	Jerem. 1, *v.* 11
Lectio ii.	Gal. 1, *v.* 11	Actu. 26, ad *v.* 21
Purificationis Virginis Mariæ	Exod. 13, ad *v.* 17	Aggæi 2, ad *v.* 10
S. Matthiæ	1 Reg. 2, *v.* 27 ad *v.* 36	Isaiæ 22, *v.* 15
Annuntiationis Dominæ nostræ	Gen. 3, ad *v.* 16	Isaiæ 52, *v.* 7 ad *v.* 13
Feria iv. Cinerum.		
Lectio i.	Isaiæ 58, ad *v.* 13	Jonæ 3
Lectio ii.	Marc. 2, *v.* 13 ad *v.* 23	Heb. 12, *v.* 3 ad *v.* 18
Feria ij. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 1, ad *v.* 15	Lam. 2, *v.* 13
Lectio ii.	Joan. 14, ad *v.* 15	Joan. 14, *v.* 15
Feria iij. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 3, ad *v.* 34	Lam. 3, *v.* 34
Lectio ii.	Joan. 15, ad *v.* 14	Joan. 15, *v.* 14

LECTIONES PROPRIÆ DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
Feria iv. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 4, ad *v.* 21	Daniel 9, *v.* 20
Lectio ii.	Joan. 16, ad *v.* 16	Joan. 16, *v.* 16
Feria v. ante Pascha.		
Lectio i.	Osee 13, ad *v.* 15	Osee 14
Lectio ii.	Joan. 17	Joan 13, ad *v.* 36
In Die Parasceues.		
Lectio i.	Genes. 22, ad *v.* 20	Isaiæ 52, *v.* 13 et 53
Lectio ii.	Joan. 18	1 Petri 2
In Vigilia Paschæ.		
Lectio i.	Zachar. 9	Osee 5, *v.* 8 ad 6 *v.* 4
Lectio ii.	Luc. 23, *v.* 50	Rom. 6, ad *v.* 14
Feria ij. post Pascha.		
Lectio i.	Exod. 15, ad *v.* 22	Cantic. 2, *v.* 10
Lectio ii.	Luc. 24, ad *v.* 13	Matt. 28, ad *v.* 10
Feria iij. post Pascha.		
Lectio i.	4 Reg. 13, *v.* 14 ad *v.* 22	Ezech. 37, ad *v.* 15
Lectio ii.	Joan. 21, ad *v.* 15	Joan 21, *v.* 15
S. Marci....................	Isaiæ 62, *v.* 6	Ezech. 1, ad *v.* 15
SS. Philippi et Jacobi.		
Lectio i.	Isaiæ 61	Zachar. 4
Lectio ii.	Joan. 1, *v.* 43	
In Die Ascensionis.		
Lectio i.	Dan. 7, *v.* 9 ad *v.* 15	4 Reg. 2, ad *v.* 16
Lectio ii.	Luc. 24, *v.* 44	Heb. 4
Feria ij. post Pentecosten.		
Lectio i.	Gen. 11, ad *v.* 10	Numer. 11, *v.* 16 ad *v.* 31
Lectio ii.	1 Cor. 12, ad *v.* 14	1 Cor. 12, *v.* 27 et 13
Feria iij. post Pentecosten.		
Lectio i.	Joel 2, *v.* 21	Mich. 4, ad *v.* 8
Lectio ii.	1 Thess. 5, *v.* 12 ad *v.* 24	1 Joan. 4, ad *v.* 14
S. Barnabæ.		
Lectio i.	Deuter. 33, ad *v.* 12	Nahum 1
Lectio ii.	Actu. 4, *v.* 31	Actu. 14, *v.* 8
S. Joan. Bapt.		
Lectio i.	Malach. 3, ad *v.* 7	Mal. 4
Lectio ii.	Matt. 3	Matt. 14, ad *v.* 13
S. Petri.		
Lectio i.	Ezech. 3, *v.* 4 ad *v.* 15	Zachar. 3
Lectio ii.	Joan. 21, *v.* 15 ad *v.* 23	Actu. 4, *v.* 8 ad *v.* 23
S. Jacobi.		
Lectio i.	4 Reg. 1, ad *v.* 16	Jerem. 26, *v.* 8 ad *v.* 16
Lectio ii.	Luc. 9, *v.* 51 ad *v.* 57	

LECTIONES PROPRIÆ DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
S. Bartholomæi.............	Genes. 28, *v.* 10 ad *v.* 18	Deut. 18, *v.* 15
S. Matthæi..................	3 Reg. 19, *v.* 15	1 Paral. 29, ad *v.* 20
S. Michaelis.		
Lectio i....................	Gen. 32	Daniel. 10, *v.* 4
Lectio ii....................	Actu. 12, *v.* 5 ad *v.* 18	Apoc. 14, *v.* 14
S. Lucæ......................	Isaiæ 55	Eccli. 38, ad *v.* 15
SS. Simonis et Judæ.........	Isaiæ 28, *v.* 9 ad *v.* 17	Jerem. 3, *v.* 12 ad *v.* 1[illegible]
Omnium Sanctorum.		
Lectio i....................	Sap. 3, ad *v.* 10	Sap. 5, ad *v.* 17
Lectio ii....................	Heb. 11, *v.* 33, et 12 ad *v.* 7	Apoc. 19 ad *v.* 17

PSALMI QUIBUSDAM DIEBUS PROPRII.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
In Die Nativitatis DOMINI..	Psal. 19	Psal. 89
....	— 45	— 110
....	— 85	— 132
In Feria iv. Cinerum........	Psal. 6	Psal. 102
....	— 32	— 130
....	— 38	— 143
In Die Parasceues............	Psal. 22	Psal. 69
....	— 40	— 88
....	— 54	
In Die Sancto Paschæ........	Psal. 2	Psal. 113
....	— 57	— 114
....	— 111	— 118
In Die Ascensionis...........	Psal. 8	Psal. 24
....	— 15	— 47
....	— 21	— 108
In Die Pentecostes..	Psal. 48	Psal. 104
....	— 68	— 145

LENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

JANUARIUS HABET DIES XXXI.

		AD MATUTINAS.		AD VESPERAS.	
		Lectio Prima.	*Lectio Secunda.*	*Lectio Prima.*	*Lectio Secunda.*
KAL.	Circ. Domini.	....	....	....	....
4		Gen. 1, ad v. 20	Matt. 1, v. 18	Gen. 1, v. 20 [ad 2, v. 4	Actu. 1
3		2, v. 4	2	3, ad v. 20	2, ad v. 22
Prid.		3, v. 20 ad [4, v. 16	3	4, v. 16	2, v. 22
NON.		5, ad v. 28	4, ad v. 23	5, v. 28 ad [6, v. 9	3
8	Epiph. Domini.	....	....	....	....
7		6, v. 9	4, v. 23 ad [5, v. 13	7	4, ad v. 32
6	Luciani, Presb. et Mart.	8	5, v. 13 ad [v. 33	9, ad v. 20	4, v. 32 ad [5, v. 17
5		11, ad v. 10	5, v. 33	12	5, v. 17
4		13	6, ad v. 19	14	6
3		15	6, v. 19 ad [7, v. 7	16	7, ad v. 35
Prid.		17, ad v. 23	7, v. 7	18, ad v. 17	7, v. 35 ad [8, v. 5
ID.	Hilarii, Episc. et Conf.	18, v. 17	8, ad v. 18	19, v. 12 ad [v. 30	8, v. 5 ad [v. 26
19		20	8, v. 18	21, ad v. 22	8, v. 26
18		21, v. 33 ad [22, v. 20	9, ad v. 18	23	9, ad v. 23
17		24, ad v. 29	9, v. 18	24, v. 29 ad [v. 52	9, v. 23
16		24, v. 52	10, ad v. 24	25, v. 5 ad [v. 19	10, ad v. 24
15	Priscæ, Virg. Rom. et Mart.	25, v. 19	10, v. 24	26, ad v. 18	10, v. 24
14		26, v. 18	11	27, ad v. 30	11
13	Fabiani, Episc. Rom. et Mart.	27, v. 30	12, ad v. 22	28	12
12	Agnetis, Virg. Rom. et Mart.	29, ad v. 21	12, v. 22	31, ad v. 25	13, ad v. 26
11	Vincent., Diac. Hisp. et Mart.	31, v. 36	13, ad v. 24	32, ad v. 22	13, v. 26
10		32, v. 22	13, v. 24 ad [v. 53	33	14
9		35, ad v. 21	13, v. 53 ad [14, v. 13	37, ad v. 12	15, ad v. 30
8	Conv. S. Pauli.	....	....	....	....
7		37, v. 12	14, v. 13	39	15, v. 30 ad [16, v. 16
6		40	15, ad v. 21	41, ad v. 17	16, v. 16
5		41, v. 17 ad [v. 53	15, v. 21	41, v. 53 ad [42, v. 25	17, ad v. 16
4		42, v. 25	16, ad v. 24	43, ad v. 25	17, v. 16
3		43, v. 25 ad [44, v. 14	16, v. 24 ad [17, v. 14	44, v. 14	18, ad v. 24
Prid.		45, ad v. 25	17, v. 14	45, v. 25 ad [46, v. 8	18, v. 24 ad [19, v. 21

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONU[M]

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII.
ET IN BISSEXTILI DIES XXIX.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			AD MATUTINAS.		AD VESPERAS.	
				Lectio Prima.	*Lectio Secunda.*	*Lectio Prima.*	*Lect[io] Secun[da.]*
1	d	KAL.	Vigilia.	Gen. 46, v. 26 [ad 47, v. 13	Matt. 18, ad v. [21	Gen. 47, v. 13	Actu. 19
2	e	4	Purificatio B. V. M.	....	18, v. 21 ad [19, v. 3	....	20, ad
3	f	3	Blasii, Episc. et Mart.	48	19, v. 3 ad [v. 27	49	20, v.
4	g	Prid.		50	19, v. 27 ad [20, v. 17	Exod. 1	21, ad
5	A	NON.	Agathæ, Virg. Sic. et Mart.	Exod. 2	20, v. 17	3	21, v.
6	b	8		4, ad v. 24	21, ad v. 23	4, v. 27 ad [5, v. 15	21, v. [22
7	c	7		5, v. 15 ad [6, v. 14	21, v. 23	6, v. 28 ad [7, v. 14	22, v. [23
8	d	6		7, v. 14	22, ad v. 15	8, ad v. 20	23, v.
9	e	5		8, v. 20 ad [9, v. 14	22, v. 15 ad [v. 41	9, v. 13	24
10	f	4		10, ad v. 21	22, v. 41 ad [23, v. 13	10, v. 21 et [11	25
11	g	3		12, ad v. 21	23, v. 13	12, v. 21 ad [v. 43	26
12	A	Prid.		12, v. 43 ad [13, v. 17	24, ad v. 29	13, v. 17 ad [14, v. 10	27, ad
13	b	ID.		14, v. 10	24, v. 29	15, ad v. 22	27, v.
14	c	16	Valentini, Ep. et Mart.	15, v. 22 ad [16, v. 11	25, ad v. 31	16, v. 11	28, ad
15	d	15		17	25, v. 31	18	28, v.
16	e	14		19	26, ad v. 31	20, ad v. 22	Roman.
17	f	13		21, ad v. 18	26, v. 31 ad [v. 57	22, v. 21 ad [23, v. 10	2, ad
18	g	12		23, v. 14	26, v. 57	24	2, v.
19	A	11		25, ad v. 23	27, ad v. 27	28, ad v. 13	3
20	b	10		28, v. 29 ad v. 42	27, v. 27 ad [v. 57	29, v. 35 ad [30, v. 11	4
21	c	9		31	27, v. 57	32, ad v. 15	5
22	d	8		32, v. 15	28	33, ad v. 12	6
23	e	7	Vigilia.	33, v. 12 ad [34, v. 10	Marc. 1, ad v. [21	34, v. 10, ad [v. 27	7
24	f	6	S. Matthiæ, Ap. et Mart.	....	1, v. 21	....	8, ad
25	g	5		34, v. 27	2, ad v. 23	35, v. 29 ad [36, v. 8	8, v.
26	A	4		39, v. 30	2, v. 23 ad [3, v. 13	40, ad v. 17	9, ad
27	b	3		40, v. 17	3, v. 13	Levit. 9, v. 22 [ad 10, v. 12	9, v.
28	c	Prid.		Levit. 14, ad [v. 23	4, ad v. 35	16, ad v. 23	10
29				19, ad v. 19	Matt. 7	19, v. 30 ad [20, v. 9	12

MARTIUS HABET DIES XXXI.

Dom.			Ad Matutinas. Lectio Prima.	Ad Matutinas. Lectio Secunda.	Ad Vesperas. Lectio Prima.	Ad Vesperas. Lectio Secunda.
	Kal.	Davidis, Arch. Meneven.	Levit. 25, ad v. 18	Marc. 4, v. 35 ad v. v. 21	Levit. 25, v. 18 ad v. 44	Roman. 11, ad v. 25
	6	Ceaddæ, Epis. Lich.	26, ad v. 21	5, v. 21	26, v. 21	11, v. 25
	5		Numer. 6	6, ad v. 14	Numer. 9, v. 15 ad 10, v. 11	12
	4		10, v. 11	6, v. 14 ad v. 30	11, ad v. 24	13
	3		11, v. 24	6, v. 30	12	14, et 15 ad v. 8
	Prid.		13, v. 17	7, ad v. 24	14, ad v. 26	15, v. 8
	Non.	Perpetuæ, Mart. Maurit.	14, v. 26	7, v. 24 ad 8, v. 10	16, ad v. 23	16
	8		16, v. 23	8, v. 10 ad 9, v. 2	17	1 Cor. 1, ad v. 26
	7		20, ad v. 14	9, v. 2 ad v. 30	20, v. 14	1, v. 26 et 2
	6		21, ad v. 10	9, v. 30	21, v. 10 ad v. 32	3
	5		22, ad v. 22	10, ad v. 32	22, v. 22	4, ad v. 18
	4	Gregorii Mag. Ep. Rom. et C.	23	10, v. 32	24	4, v. 18 et 5
	3		25	11, ad v. 27	27, v. 12	6
	Prid.		Deut. 1, ad v. 19	11, v. 27 ad 12, v. 13	Deut. 1, v. 19	7, ad v. 25
	Id.		2, ad v. 26	12, v. 13 ad v. 35	2, v. 26 ad 3, v. 18	7, v. 25
	17		3, v. 18	12, v. 35 ad 13, v. 14	4, ad v. 25	8
	16		4, v. 25 ad v. 41	13, v. 14	5, ad v. 22	9
	15	Edvardi, Reg. Sax. Occid.	5, v. 22	14, ad v. 27	6	10 et 11, v. 1
	14		7, ad v. 12	14, v. 27 ad v. 53	7, v. 12	11, v. 2 ad v. 17
	13		8	14, v. 53	10, v. 8	11, v. 17
	12	Benedicti, Abbatis.	11, ad v. 18	15, ad v. 42	11, v. 18	12, ad v. 28
	11		15, ad v. 16	15, v. 42 et 16	17, v. 8	12, v. 28 et 13
	10		18, v. 9	Lucæ 1, ad v. 26	24, v. 5	14, ad v. 20
	9	Vigilia.	26	1, v. 26 ad v. 46	27	14, v. 20
	8	Annuntiatio B. V. M.	....	1, v. 46	....	15, ad v. 35
	7		28, ad v. 15	2, ad v. 21	28, v. 15 ad v. 47	15, v. 35
	6		28, v. 47	2, v. 21	29, v. 9	16
	5		30	3, ad v. 23	31, ad v. 14	2 Cor. 1, ad v. 23
	4		31, v. 14 ad v. 30	4, ad v. 16	31, v. 30 ad 32, v. 44	1, v. 23 ad 2, v. 14
	3		32, v. 44	4, v. 16	33	2, v. 14 et 3
	Prid.		34	5, ad v. 17	Josu. 1	4

LECTIONES PROPRIÆ

DOMINICIS DIEBUS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.		
In Dominicis Adventus.				
Prima	Isaiæ 1	Isaiæ 2	sive	Isaiæ 4, v.
Secunda..	5	11, ad v. 11	,,	24
Tertia	25	26	,,	28, v. 5 a
Quarta..............	30 ad v. 27	32	,,	33, v. 2 a
In Dominicis post Nativitatem.				
Prima..	35	38	,,	40
Secunda	42	43	,,	44
In Dominicis post Epiphaniam.				
Prima................	51	52, v. 13 et 53	,,	54
Secunda............	55	57	,,	61
Tertia	62	65	,,	66
Quarta..............	Job 27	Job 28	,,	Job 29
Quinta..............	Prov. 1	Prov. 3	,,	Prov. 8
Sexta..	9	11	,,	15
Septuagesimæ	Gen. 1 et 2, ad v. 4	Gen. 2, v. 4	,,	Job 38
Lectio secunda......	Apoc. 21, ad v. 9	Apoc. 21, v. 9 ad 22, v. 6		
Sexagesimæ............	Gen. 3	Gen. 6	sive	Gen. 8
Quinquagesimæ........	9, ad v. 20	12	,,	13
In Dominicis Quadragesimæ.				
Prima	19 v. 12, ad v. 30	22, ad v. 20	,,	23
Secunda	27, ad v. 41	28	,,	32
Tertia	37	39	,,	40
Quarta..............	42	43	,,	45
Quinta..............	Exod. 3	Exod. 5	,,	6, ad v.
Sexta	9	10	,,	11
Lectio ii..........	Matt. 26	Luc. 19, v. 28	,,	Luc. 20, (ad 1
In Die Sancto Paschæ ..	Exod. 12, ad v. 29	Exod. 12, v. 29	,,	Exod. 14
Lectio ii............	Apoc. 1, v. 10 ad v. 19	S. Joan 20, v. 11 ad (v. 19	,,	Apoc. 5
In Dominicis post Pascha.				
Prima	Numer. 16, ad v. 36	Numer. 16, v. 36	,,	Num. 17, ad
Lectio ii..........	1 ad Cor. 15, ad v. 29	Joan. 20, v. 24 ad v. 30		
Secunda............	Numer. 20, ad v. 14	Num. 20 v. 14 ad (21, v. 10	sive	Num. 21, 1
Tertia....	22	23	,,	24
Quarta..............	Deuter. 4, ad v. 23	Deut. 4, v. 23 ad v. 41	,,	Deut. 5
Quinta..............	6	9	,,	10

LECTIONES PROPRIÆ DOMINICIS DIEBUS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.		
In Dominica post Ascensionem	Deuter. 30	Deuter. 34		sive Josue 1
In Die Pentecostes	16, ad *v.* 18	Isaiæ 11	,,	Ezech. 36, *v.* 25
Lectio ii	Ad Rom. 8, ad *v.* 18	Ad Galat. 5, *v.* 16	,,	Actu. 18, *v.* 24 [ad 19, *v.* 21
In Dominica Trinitatis	Isaiæ 6, ad *v.* 11	Genes. 18	,,	Gen. 1 et 2, ad
Lectio ii	Apocal. 1, ad *v.* 9	Ad Eph. 4, ad *v.* 17	,,	Matt. 3 [*v.* 4
In Dominicis post Trinitatem.				
Prima	Jos. 3, *v.* 7 ad 4, *v.* 15	Jos. 5, *v.* 13 ad 6, *v.* 21	,,	Josue 24
Secunda	Judicum 4	Judicum 5	,,	Judicum 6, *v.* 11
Tertia	1 Reg. 2, ad *v.* 27	1 Reg. 3	,,	1 Reg. 4, ad *v.* 19
Quarta	12	13	,,	Ruth 1
Quinta	15, ad *v.* 24	16	,,	1 Reg. 17
Sexta	2 Reg. 1	2 Reg. 12, ad *v.* 24	,,	2 Reg. 18
Septima	1 Paral. 21	1 Paral. 22	,,	1 Par. 28 ad *v.* 21
Octava	29, *v.* 9 ad *v.* 29	2 Paral. 1	,,	3 Reg. 3
Nona	3 Reg. 10 ad *v.* 25	3 Reg. 11, ad *v.* 15	,,	11, *v.* 26
Decima	12	13	,,	17
Undecima	18	19	,,	21
Duodecima	22, ad *v.* 41	4 Reg. 2, ad *v.* 16	,,	4 Reg. 4, *v.* 3
Tertia decima	4 Reg. 5	6. ad *v.* 24	,,	7 [ad *v.* 38
Decima quarta	9	10, ad *v.* 32	,,	13
Decima quinta	18	19	,,	23, ad *v.* 31
Decima sexta	2 Paral. 36	Neh. 1 et 2, ad *v.* 9	,,	Nehem. 8
Decima septima	Jerem. 5	Jerem. 22	,,	Jerem. 35
Duodevicesima	36	Ezech. 2	,,	Ezec. 13, ad *v.* 17
Undevicesima	Ezech. 14	18	,,	24, *v.* 15
Vicesima	34	37	,,	Daniel 1
Vicesima prima	Daniel 3	Daniel 4	,,	5
Vicesima secunda	6	7, *v.* 9	,,	12
Vicesima tertia	Osee 14	Joel 2, *v.* 21	,,	Joel 3, *v.* 9
Vicesima quarta	Amos 3	Amos 5	,,	Amos 9
Vicesima quinta	Mich. 4 et 5, ad *v.* 8	Mich. 6	,,	Mich. 7
Vicesima sexta	Habac. 2	Habac. 3	,,	Sophon. 3
Vicesima septima	Eccles. 11 et 12	Aggæi 2, ad *v.* 10	,,	Malach. 3 et 4

NOTA.—Quod Lectiones quæ in Tabula præcedenti Dominicæ post Trinitatem Vicesimæ Septimæ assignantur in Dominica proxima ante Adventum semper legentur.

LECTIONES PROPRIÆ
DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
S. Andreæ.		
Lectio i.	Isaiæ 54	Isaiæ 65, ad *v.* 17
Lectio ii.	Joan. 1, *v.* 35 ad *v.* 43	Joan. 12, *v.* 20 ad *v.* 42
S. Thomæ.		
Lectio i.	Job 42, ad *v.* 7	Isaiæ 35
Lectio ii.	Joan. 20, *v.* 19 ad *v.* 24	Joan. 14, ad *v.* 8
In Die Nativitatis DOMINI.		
Lectio i.	Isaiæ 9, ad *v.* 8	Isaiæ 7, *v.* 10 ad *v.* 17
Lectio ii.	Luc. 2, ad *v.* 15	Tit. 3, *v.* 4 ad *v.* 9
S. Stephani.		
Lectio i.	Gen. 4, ad *v.* 11	2 Paral. 24, *v.* 15 ad *v.* 23
Lectio ii.	Actu. 6	Actu. 8, ad *v.* 9
S. Joannis Evangelistæ.		
Lectio i.	Exod. 33, *v.* 9	Isaiæ 6
Lectio ii.	Joan. 3, *v.* 23 ad *v.* 36	Apocal. 1
SS. Innocentium	Jerem. 31, ad *v.* 18	Baruc. 4 *v.* 21 ad *v.* 31
Circumcisionis.		
Lectio i.	Gen. 17, *v.* 9	Deut. 10, *v.* 12
Lectio ii.	Rom. 2, *v.* 17	Col. 2, *v.* 8 ad *v.* 18
Epiphaniæ.		
Lectio i.	Isaiæ 60	Isaiæ 49, *v.* 13 ad v. 24
Lectio ii.	Luc. 3, *v.* 15 ad *v.* 23	Joan. 2, ad *v.* 12
Conv. S. Pauli.		
Lectio i.	Isaiæ 49, ad *v.* 13	Jerem. 1, *v.* 11
Lectio ii.	Gal. 1, *v.* 11	Actu. 26, ad *v.* 21
Purificationis Virginis Mariæ	Exod. 13, ad *v.* 17	Aggæi 2, ad *v.* 10
S. Matthiæ	1 Reg. 2, *v.* 27 ad *v.* 36	Isaiæ 22, *v.* 15
Annuntiationis Dominæ nostræ	Gen. 3, ad *v.* 16	Isaiæ 52, *v.* 7 ad *v.* 13
Feria iv. Cinerum.		
Lectio i.	Isaiæ 58, ad *v.* 13	Jonæ 3
Lectio ii.	Marc. 2, *v.* 13 ad *v.* 23	Heb. 12, *v.* 3 ad *v.* 18
Feria ij. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 1, ad *v.* 15	Lam. 2, *v.* 13
Lectio ii.	Joan. 14, ad *v.* 15	Joan. 14, *v.* 15
Feria iij. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 3, ad *v.* 34	Lam. 3, *v.* 34
Lectio ii.	Joan. 15, ad *v.* 14	Joan. 15, *v.* 14

LECTIONES PROPRIÆ DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
Feria iv. ante Pascha.		
Lectio i.	Lam. 4, ad *v.* 21	Daniel 9, *v.* 20
Lectio ii.	Joan. 16, ad *v.* 16	Joan. 16, *v.* 16
Feria v. ante Pascha.		
Lectio i.	Osee 13, ad *v.* 15	Osee 14
Lectio ii.	Joan. 17	Joan 13, ad *v.* 36
In Die Parasceues.		
Lectio i.	Genes. 22, ad *v.* 20	Isaiæ 52, *v.* 13 et 53
Lectio ii.	Joan. 18	1 Petri 2
In Vigilia Paschæ.		
Lectio i.	Zachar. 9	Osee 5, *v.* 8 ad 6 *v.* 4
Lectio ii.	Luc. 23, *v.* 50	Rom. 6, ad *v.* 14
Feria ij. post Pascha.		
Lectio i.	Exod. 15, ad *v.* 22	Cantic. 2, *v.* 10
Lectio ii.	Luc. 24, ad *v.* 13	Matt. 28, ad *v.* 10
Feria iij. post Pascha.		
Lectio i.	4 Reg. 13, *v.* 14 ad *v.* 22	Ezech. 37, ad *v.* 15
Lectio ii.	Joan. 21, ad *v.* 15	Joan 21, *v.* 15
S. Marci.	Isaiæ 62, *v.* 6	Ezech. 1, ad *v.* 15
SS. Philippi et Jacobi.		
Lectio i.	Isaiæ 61	Zachar. 4
Lectio ii.	Joan. 1, *v.* 43	
In Die Ascensionis.		
Lectio i.	Dan. 7, *v.* 9 ad *v.* 15	4 Reg. 2, ad *v.* 16
Lectio ii.	Luc. 24, *v.* 44	Heb. 4
Feria ij. post Pentecosten.		
Lectio i.	Gen. 11, ad *v.* 10	Numer. 11, *v.* 16 ad *v.* 31
Lectio ii.	1 Cor. 12, ad *v.* 14	1 Cor. 12, *v.* 27 et 13
Feria iij. post Pentecosten.		
Lectio i.	Joel 2, *v.* 21	Mich. 4, ad *v.* 8
Lectio ii.	1 Thess. 5, *v.* 12 ad v. 24	1 Joan. 4, ad *v.* 14
S. Barnabæ.		
Lectio i.	Deuter. 33, ad *v.* 12	Nahum 1
Lectio ii.	Actu. 4, *v.* 31	Actu. 14, *v.* 8
S. Joan. Bapt.		
Lectio i.	Malach. 3, ad *v.* 7	Mal. 4
Lectio ii.	Matt. 3	Matt. 14, ad *v.* 13
S. Petri.		
Lectio i.	Ezech. 3, *v.* 4 ad *v.* 15	Zachar. 3
Lectio ii.	Joan. 21, *v.* 15 ad *v.* 23	Actu. 4, *v.* 8 ad *v.* 23
S. Jacobi.		
Lectio i.	4 Reg. 1, ad *v.* 16	Jerem. 26, *v.* 8 ad *v.* 16
Lectio ii.	Luc. 9, *v.* 51 ad *v.* 57	

LECTIONES PROPRIÆ DIEBUS FESTIS.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
S. Bartholomæi	Genes. 28, *v.* 10 ad *v.* 18	Deut. 18, *v.* 15
S. Matthæi	3 Reg. 19, *v.* 15	1 Paral. 29, ad *v.* 20
S. Michaelis.		
Lectio i.	Gen. 32	Daniel. 10, *v.* 4
Lectio ii.	Actu. 12, *v.* 5 ad *v.* 18	Apoc. 14, *v.* 14
S. Lucæ	Isaiæ 55	Eccli. 38, ad *v.* 15
SS. Simonis et Judæ	Isaiæ 28, *v.* 9 ad *v.* 17	Jerem. 3, *v.* 12 ad *v.* 19
Omnium Sanctorum.		
Lectio i.	Sap. 3, ad *v.* 10	Sap. 5, ad *v.* 17
Lectio ii.	Heb. 11, *v.* 33, et 12 ad *v.* 7	Apoc. 19 ad *v.* 17

PSALMI QUIBUSDAM DIEBUS PROPRII.

	AD MATUTINAS.	AD VESPERAS.
In Die Nativitatis DOMINI ..	Psal. 19	Psal. 89
....	— 45	— 110
....	— 85	— 132
In Feria iv. Cinerum	Psal. 6	Psal. 102
....	— 32	— 130
....	— 38	— 143
In Die Parasceues	Psal. 22	Psal. 69
....	— 40	— 88
....	— 54	
In Die Sancto Paschæ	Psal. 2	Psal. 113
....	— 57	— 114
....	— 111	— 118
In Die Ascensionis	Psal. 8	Psal. 24
....	— 15	— 47
....	— 21	— 108
In Die Pentecostes	Psal. 48	Psal. 104
....	— 68	— 145

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

JANUARIUS HABET DIES XXXI.

mensis	Litt. Dom.			AD MATUTINAS. *Lectio Prima.*	AD MATUTINAS. *Lectio Secunda.*	AD VESPERAS. *Lectio Prima.*	AD VESPERAS. *Lectio Secunda.*
1	A	KAL.	Circ. Domini.	....	....	....	....
2	b	4		Gen. 1, ad v. 20	Matt. 1, v. 18	Gen. 1, v. 20 [ad 2, v. 4	Actu 1
3	c	3		2, v. 4	2	3, ad v. 20	2, ad v. 22
4	d	Prid.		3, v. 20 ad [4, v. 16	3	4, v. 16	2, v. 22
5	e	NON.		5, ad v. 28	4, ad v. 23	5, v. 28 ad [6, v. 9	3
6	f	8	Epiph. Domini.	....	....	....	....
7	g	7		6, v. 9	4, v. 23 ad [5, v. 13	7	4, ad v. 32
8	A	6	Luciani, Presb. et Mart.	8	5, v. 13 ad [v. 33	9, ad v. 20	4, v. 32 ad [5, v. 17
9	b	5		11, ad v. 10	5, v. 33	12	5, v. 17
10	c	4		13	6, ad v. 19	14	6
11	d	3		15	6, v. 19 ad [7, v. 7	16	7, ad v. 35
12	e	Prid.		17, ad v. 23	7, v. 7	18, ad v. 17	7, v. 35 ad [8, v. 5
13	f	ID.	Hilarii, Episc. et Conf.	18, v. 17	8, ad v. 18	19, v. 12 ad [v. 30	8, v. 5 ad [v. 26
14	g	19		20	8, v. 18	21, ad v. 22	8, v. 26
15	A	18		21, v. 33 ad [22, v. 20	9, ad v. 18	23	9, ad v. 23
16	b	17		24, ad v. 29	9, v. 18	24, v. 29 ad [v. 52	9, v. 23
17	c	16		24, v. 52	10, ad v. 24	25, v. 5 ad [v. 19	10, ad v. 24
18	d	15	Priscæ, Virg. Rom. et Mart.	25, v. 19	10, v. 24	26, ad v. 18	10, v. 24
19	e	14		26, v. 18	11	27, ad v. 30	11
20	f	13	Fabiani, Episc. Rom. et Mart.	27, v. 30	12, ad v. 22	28	12
21	g	12	Agnetis, Virg. Rom. et Mart.	29, ad v. 21	12, v. 22	31, ad v. 25	13, ad v. 26
22	A	11	Vincent., Diac. Hisp. et Mart.	31, v. 36	13, ad v. 24	32, ad v. 22	13, v. 26
23	b	10		32, v. 22	13, v. 24 ad [v. 53	33	14
24	c	9		35, ad v. 21	13, v. 53 ad [14, v. 13	37, ad v. 12	15, ad v. 30
25	d	8	Conv. S. Pauli.	....	....	....	....
26	e	7		37, v. 12	14, v. 13	39	15, v. 30 ad [16, v. 16
27	f	6		40	15, ad v. 21	41, ad v. 17	16, v. 16
28	g	5		41, v. 17 ad [v. 53	15, v. 21	41, v. 53 ad [42, v. 25	17, ad v. 16
29	A	4		42, v. 25	16, ad v. 24	43, ad v. 25	17, v. 16
30	b	3		43, v. 25 ad [44, v. 14	16, v. 24 ad [17, v. 14	44, v. 14	18, ad v. 24
31	c	Prid.		45, ad v. 25	17, v. 14	45, v. 25 ad [46, v. 8	18, v. 24 ad [19, v. 21

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONU[M]

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII.,
ET IN BISSEXTILI DIES XXIX.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			AD MATUTINAS. *Lectio Prima.*	AD MATUTINAS. *Lectio Secunda.*	AD VESPERAS. *Lectio Prima.*	AD VESPERAS. *Lectio Secun[da.]*
1	d	KAL.	Vigilia.	Gen. 46, v. 26 [ad 47, v. 13	Matt. 18, ad v. [21	Gen. 47, v. 13	Actu. 19
2	e	4	Purificatio B. V. M.	....	18, v. 21 ad [19, v. 3	....	20, ad
3	f	3	Blasii, Episc. et Mart.	48	19, v. 3 ad [v. 27	49	20, v.
4	g	Prid.		50	19, v. 27 ad [20, v. 17	Exod. 1	21, ad
5	A	NON.	Agathæ, Virg. Sic. et Mart.	Exod. 2	20, v. 17	3	21, v.
6	b	8		4, ad v. 24	21, ad v. 23	4, v. 27 ad [5, v. 15	21, v. [22
7	c	7		5, v. 15 ad [6, v. 14	21, v. 23	6, v. 28 ad [7, v. 14	22, v. [23
8	d	6		7, v. 14	22, ad v. 15	8, ad v. 20	23, v.
9	e	5		8, v. 20 ad [9, v. 14	22, v. 15 ad [v. 41	9, v. 13	24
10	f	4		10, ad v. 21	22, v. 41 ad [23, v. 13	10, v. 21 et [11	25
11	g	3		12, ad v. 21	23, v. 13	12, v. 21 ad [v. 43	26
12	A	Prid.		12, v. 43 ad [13, v. 17	24, ad v. 29	13, v. 17 ad [14, v. 10	27, ad
13	b	ID.		14, v. 10	24, v. 29	15, ad v. 22	27, v.
14	c	16	Valentini, Ep. et Mart.	15, v. 22 ad [16, v. 11	25, ad v. 31	16, v. 11	28, ad
15	d	15		17	25, v. 31	18	28, v.
16	e	14		19	26, ad v. 31	20, ad v. 22	Roman.
17	f	13		21, ad v. 18	26, v. 31 ad [v. 57	22, v. 21 ad [23, v. 10	2, ad
18	g	12		23, v. 14	26, v. 57	24	2, v. 1
19	A	11		25, ad v. 23	27, ad v. 27	28, ad v. 13	3
20	b	10		28, v. 29 ad v. 42	27, v. 27 ad [v. 57	29, v. 35 ad [30, v. 11	4
21	c	9		31	27, v. 57	32, ad v. 15	5
22	d	8		32, v. 15	28	33, ad v. 12	6
23	e	7	Vigilia.	33, v. 12 ad [34, v. 10	Marc. 1, ad v. [21	34, v. 10, ad [v. 27	7
24	f	6	S. Matthiæ, Ap. et Mart.	....	1, v. 21	....	8, ad
25	g	5		34, v. 27	2, ad v. 23	35, v. 29 ad [36, v. 8	8, v. 1
26	A	4		39, v. 30	2, v. 23 ad [3, v. 13	40, ad v. 17	9, ad
27	b	3		40, v. 17	3, v. 13	Levit. 9, v. 22 [ad 10, v. 12	9, v. 1
28	c	Prid.		Levit. 14, ad [v. 23	4, ad v. 35	16, ad v. 23	10
29				19, ad v. 19	Matt. 7	19, v. 30 ad [20, v. 9	12

MARTIUS HABET DIES XXXI

Dies Mensis.	Litt. Dom.			Ad Matutinas. Lectio Prima.	Ad Matutinas. Lectio Secunda.	Ad Vesperas. Lectio Prima.	Ad Vesperas. Lectio Secunda.
1	d	Kal.	Davidis, Arch. Meneven.	Levit. 25, ad v. 18	Marc. 4, v. 35 ad v. v. 21	Levit. 25, v. 18 ad v. 44	Roman. 11, ad v. 25
2	e	6	Ceaddæ, Epis. Lich.	26, ad v. 21	5, v. 21	26, v. 21	11, v. 25
3	f	5		Numer. 6	6, ad v. 14	Numer. 9, v. 15 ad 10, v. 11	12
4	g	4		10, v. 11	6, v. 14 ad v. 30	11, ad v. 24	13
5	A	3		11, v. 24	6, v. 30	12	14, et 15 ad v. 8
6	b	Prid.		13, v. 17	7, ad v. 24	14, ad v. 26	15, v. 8
7	c	Non.	Perpetuæ, Mart. Maurit.	14, v. 26	7, v. 24 ad 8, v. 10	16, ad v. 23	16
8	d	8		16, v. 23	8, v. 10 ad 9, v. 2	17	1 Cor. 1, ad v. 26
9	e	7		20, ad v. 14	9, v. 2 ad v. 30	20, v. 14	1, v. 26 et 2
10	f	6		21, ad v. 10	9, v. 30	21, v. 10 ad v. 32	3
11	g	5		22, ad v. 22	10, ad v. 32	22, v. 22	4, ad v. 18
12	A	4	Gregorii Mag. Ep. Rom. et C.	23	10, v. 32	24	4, v. 18 et 5
13	b	3		25	11. ad v. 27	27, v. 12	6
14	c	Prid.		Deut. 1, ad v. 19	11, v. 27 ad 12, v. 13	Deut. 1, v. 19	7, ad v. 25
15	d	Id.		2, ad v. 26	12, v. 13 ad v. 35	2, v. 26 ad 3, v. 18	7, v. 25
16	e	17		3, v. 18	12, v. 35 ad 13, v. 14	4, ad v. 25	8
17	f	16		4, v. 25 ad v. 41	13, v. 14	5, ad v. 22	9
18	g	15	Edvardi, Reg. Sax. Occid.	5, v. 22	14, ad v. 27	6	10 et 11, v. 1
19	A	14		7, ad v. 12	14, v. 27 ad v. 53	7, v. 12	11, v. 2 ad v. 17
20	b	13		8	14, v. 53	10, v. 8	11, v. 17
21	c	12	Benedicti, Abbatis.	11, ad v. 18	15, ad v. 42	11, v. 18	12, ad v. 28
22	d	11		15, ad v. 16	15, v. 42 et 16	17, v. 8	12, v. 28 et 13
23	e	10		18, v. 9	Lucæ 1, ad v. 26	24, v. 5	14, ad v. 20
24	f	9	Vigilia.	26	1, v. 26 ad v. 46	27	14, v. 20
25	g	8	Annuntiatio B. V. M.	....	1, v. 46	....	15, ad v. 35
26	A	7		28, ad v. 15	2, ad v. 21	28, v. 15 ad v. 47	15, v. 35
27	b	6		28, v. 47	2, v. 21	29, v. 9	16
28	c	5		30	3, ad v. 23	31, ad v. 14	2 Cor. 1, ad v. 23
29	d	4		31, v. 14 ad v. 30	4, ad v. 16	31, v. 30 ad 32, v. 44	1, v. 23 ad 2, v. 14
30	e	3		32, v. 44	4, v. 16	33	2, v. 14 et 3
31	f	Prid.		34	5, ad v. 17	Josu. 1	4

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

APRILIS HABET DIES XXX.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			AD MATUTINAS. *Lectio Prima.*	AD MATUTINAS. *Lectio Secunda.*	AD VESPERAS. *Lectio Prima.*	AD VESPERAS. *Lectio Secunda.*
1	g	KAL.		Josu. 2	Lucæ 5, *v.* 17	Josu. 3	2 Cor. 5
2	A	4		4	6, ad *v.* 20	5	6 et 7, *v.* 1
3	b	3	Ricardi, Episc. Cicestr.	6	6, *v.* 20	7	7, *v.* 2
4	c	Prid.	Ambrosii, Episc. Mediolan.	9, *v.* 3	7, ad *v.* 24	10, ad *v.* 16	8
5	d	NON.		21, *v.* 43 ad [22, *v.* 11	7, *v.* 24	22, *v.* 11	9
6	e	8		23	8, ad *v.* 26	24	10
7	f	7		Judic. 2	8, *v.* 26	Judic. 4	11, ad *v.* 30
8	g	6		5	9, ad *v.* 28	6 ad *v.* 24	11, *v.* 30 ad [12, *v.* 14
9	A	5		6, *v.* 24	9, *v.* 28 ad [*v.* 51	7	12, *v.* 14 et [13
10	b	4		8, *v.* 32 ad 9, [*v.* 25	9, *v.* 51 ad [10, *v.* 17	10	Galat. 1.
11	c	3		11, ad *v.* 29	10, *v.* 17	11, *v.* 29	2
12	d	Prid.		13	11, ad *v.* 29	14	3
13	e	ID.		15	11, *v.* 29	16	4, ad *v.* 21
14	f	18		Ruth 1	12, ad *v.* 35	Ruth 2	4, *v.* 21 ad 5, [*v.* 13
15	g	17		3	12, *v.* 35	4	5, *v.* 13
16	A	16		Reg. 1	13, ad *v.* 18	1 Reg. 2, ad [*v.* 21	6
17	b	15		2, *v.* 21	13, *v.* 18	3	Ephes. 1
18	c	14		4	14, ad *v.* 25	5	2
19	d	13	Alphegi, Archiep. Cant.	6	14, *v.* 25 ad [15, *v.* 11	7	3
20	e	12		8	15, *v.* 11	9	4, ad *v.* 25
21	f	11		10	16	11	4, *v.* 25 ad [5, *v.* 22
22	g	10		12	17, ad *v.* 20	13	5, *v.* 22 ad [6, *v.* 10
23	A	9	S. Georgii, Mart.	14, ad *v.* 24	17, *v.* 20	14, *v.* 24 ad [*v.* 47	6, *v.* 10
24	b	8		15	18, ad *v.* 31	16	Philipp. 1
25	c	7	S. Marci, Evan. et Mart.	....	18, *v.* 31 ad [19, *v.* 11	....	2
26	d	6		17, ad *v.* 31	19, *v.* 11 ad [*v.* 28	17, *v.* 31 ad [*v.* 55	3
27	e	5		17, *v.* 55 ad [18, *v.* 17	19, *v.* 28	19	4
28	f	4		20, ad *v.* 18	20, ad *v.* 27	20, *v.* 18	Coloss. 1, ad [*v.* 21
29	g	3		21	20, *v.* 27 ad [21, *v.* 5	22	1, *v.* 21 ad [2, *v.* 8
30	A	Prid.		23	21, *v.* 5	24 et 25	2, *v.* 8

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

MAIUS HABET DIES XXXI.

Litt. Dom.			AD MATUTINAS. *Lectio Prima.*	AD MATUTINAS. *Lectio Secunda.*	AD VESPERAS. *Lectio Prima.*	AD VESPERAS. *Lectio Secunda.*
b	Kal.	SS. Phil. et Jac. Ap. et Mart.	....	....	....	Coloss. 3, ad v. 18
c	6		1 Reg. 26	Lucæ 22, ad v. 31	1 Reg. 28, v. 3	3, v. 18 ad 4, v. 7
d	5	Inventio Crucis	31	22, v. 31 ad v. 54	2 Reg. 1	4, v. 7
e	4		2 Reg. 3, v. 17	22, v. 54	4	1 Thessal. 1
f	3		6	23, ad v. 26	7, ad v. 18	2
g	Prid.	S. Joannis, Ev. ante port. Lat.	7, v. 18	23, v. 26 ad v. 50	9	3
A	Non.		11	23, v. 50 ad 24, v. 13	12, ad v. 24	4
b	8		13, v. 38 ad 14, v. 26	24, v. 13	15, ad v. 16	5
c	7		15, v. 16	Joan. 1 ad v. 29	16, ad v. 15	2 Thessal. 1
d	6		16, v. 15 ad 17, v. 24	1, v. 29	17, v. 24 ad 18, v. 18	2
e	5		18, v. 18	2	19, ad v. 24	3
f	4		19, v. 24	3, ad v. 22	21, ad v. 15	1 Tim. 1, ad v. 18
g	3		23, ad v. 24	3, v. 22	24	1, v. 18 et 2
A	Prid.		3 Reg. 1 ad v. 28	4, ad v. 31	3 Reg. 1, v. 28 ad v. 49	3
b	Id.		1 Paral. 29 ad v. 10	4, v. 31	3	4
c	17		3 Reg. 4, v. 20	5, ad v. 24	5	5
d	16		6, ad v. 15	5, v. 24	8, ad v. 22	6
e	15		8, v. 22 ad v. 54	6, ad v. 22	8, v. 54 ad 9, v. 10	2 Tim. 1
f	14	Dunstani, Archiep. Cant.	10	6, v. 22 ad v. 41	11, ad v. 26	2
g	13		11, v. 26	6, v. 41	12, ad v. 25	3
A	12		12, v. 25 ad 13, v. 11	7, ad v. 25	13, v. 11	4
b	11		14, ad v. 21	7, v. 25	15, v. 25 ad 16, v. 8	Tit.
c	10		16, v. 8	8, ad v. 31	17	2
d	9		18, ad v. 17	8, v. 31	18, v. 17	3
e	8		19	9, ad v. 39	21	Philem.
f	7	Augustini, prim. Archiep. Cant.	22, ad v. 41	9, v. 39 ad 10, v. 22	4 Reg. 1	Hebr. 1
g	6	Bedæ Ven. Pr.	4 Reg. 2	10, v. 22	4, v. 8	2 et 3, ad v. 7
A	5		5	11, ad v. 17	6, ad v. 24	3, v. 7 ad 4, v. 14
b	4		6, v. 24	11, v. 17 ad v. 47	7	4, v. 14 et 5
c	3		8, ad v. 16	11, v. 47 ad 12, v. 20	9	6
d	Prid.		10, ad v. 18	12, v. 20	10, v. 18	7

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM

JUNIUS HABET DIES XXX

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			Ad Matutinas *Lectio Prima.*	Ad Matutinas *Lectio Secunda.*	Ad Vesperas *Lectio Prima.*	Ad Vesperas *Lecti[o] Secun[da.]*
1	e	Kal.	Nicom., Presb. Rom. et Mart.	4 Reg. 13	Joan. 13, ad *v.* [21	4 Reg. 17 ad [*v.* 24	Hebr. 8
2	f	4		17, *v.* 24	13, *v.* 21	2 Paral. 12	9
3	g	3		2 Paral. 13	14	14	10, ad *v*
4	A	Prid.		15	15	16 et 17, ad [*v.* 14	10, *v.* 1
5	b	Non.	Bonifacii, Epis. Mogunt et M.	19	16, ad *v.* 16	20, ad *v.* 31	11, ad
6	c	8		20, *v.* 31 et [21	16, *v.* 16	22	11, *v.* 1
7	d	7		23	17	24	12
8	e	6		25	18, ad *v.* 28	26 et 27	13
9	f	5		28	18, *v.* 28	4 Reg. 18, ad [*v.* 9	Jacob. 1
10	g	4		29, *v.* 3 ad [*v.* 21	19, ad *v.* 25	2 Paral. 30 et [31, *v.* 1	2
11	A	3	S. Barnabæ, Ap. et Mart.	....	....	....	....
12	b	Prid.		4 Reg. 18 *v.* [13	19, *v.* 25	4 Reg. 19, ad [*v.* 20	3
13	c	Id.		19, *v.* 20	20, ad *v.* 19	20	4
14	d	18		Esai. 38, *v.* 9 [ad *v.* 21	20, *v.* 19	2 Paral. 33	5
15	e	17		4 Reg. 22	21	4 Reg. 23, ad [*v.* 21	1 Pet. 1,
16	f	16		23, *v.* 21 ad [24, *v.* 8	Actu. 1	24, *v.* 8 ad [25, *v.* 8	1, *v.* 22
17	g	15	S. Albani, Mart.	25, *v.* 8	2, ad *v.* 22	1 Esdr. 1 et 3	2, *v.* 11
18	A	14		1 Esdr. 4	2, *v.* 22	5	3, *v.* 8
19	b	13		7	3	8, *v.* 15	4, *v.* 7
20	c	12	Trans. Edvardi Reg. Sax. Occ.	9	4, ad *v.* 32	10, ad *v.* 20	5
21	d	11		2 Esdr. 1	4, *v.* 32 ad 5, [*v.* 17	2 Esdr. 2	2 Pet. 1
22	e	10		4	5, *v.* 17	5	2
23	f	9	Vigilia.	6 et 7, ad *v.* 5	6	7, *v.* 73 et 8	3
24	g	8	Nativitatis S. Joannis Bapt.	....	....	....	....
25	A	7		13, ad *v.* 15	7, ad *v.* 35	13, *v.* 15	1 Joan. 1
26	b	6		Esther 1	7, *v.* 35 ad 8, [*v.* 5	Esther 2, *v.* 15 [et 3	2, ad *v.*
27	c	5		4	8, *v.* 5 ad *v.* [26	5	2, *v.* 15
28	d	4	Vigilia.	6	8, *v.* 26	7	3, ad *v.*
29	e	3	S. Petri, Apost. et Mart.	....	....	....	....
30	f	Prid.		Job 1	9, ad *v.* 23	Job 2	3, *v.* 1 [4

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

JULIUS HABET DIES XXXI.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			Ad Matutinas. *Lectio Prima.*	Ad Matutinas. *Lectio Secunda.*	Ad Vesperas. *Lectio Prima.*	Ad Vesperas. *Lectio Secunda.*
1	g	Kal.		Job 3	Actu. 9, *v.* 23	Job 4	1 Joan. 4, *v.* 7
2	A	6	Visitatio B.M.V.	5	10, ad *v.* 24	6	5
3	b	5		7	10, *v.* 24.	9	2 Joan.
4	c	4	Trans. S. Martini, Ep. et C.	10	11	11	3 Joan.
5	d	3		12	12	13	Ep. Judæ.
6	e	Prid.		14	13, ad *v.* 26	16	Matt. 1, *v.* 18
7	f	Non.		17	13, *v.* 26	19	2
8	g	8		21	14	22, *v.* 12 ad [*v.* 29	3
9	A	7		23	15, ad *v.* 30	24	4, ad *v.* 23
10	b	6		25 et 26	15, *v.* 30 ad [16, *v.* 16	27	4, *v.* 23 ad 5, [*v.* 13
11	c	5		28	16, *v.* 16	29 et 30, *v.* 1	5, *v.* 13 ad *v.* [33
12	d	4		30, *v.* 12 ad [*v.* 27	17, ad. *v.* 16	31, *v.* 13	5, *v.* 33
13	e	3		32	17, *v.* 16	38, ad *v.* 39	6, ad *v.* 19
14	f	Prid.		38, *v.* 39 et [39	18, ad *v.* 24	40	6, *v.* 19 ad 7, [*v.* 7
15	g	Id.	Trans. Swithuni, Episc. Winton.	41	18, *v.* 24 ad [19, *v.* 21	42	7, *v.* 7
16	A	17		Prov. 1, ad *v.* [20	19, *v.* 21	Prov. 1, *v.* 20	8, ad *v.* 18
17	b	16		2	20, ad *v.* 17	3, ad *v.* 27	8, *v.* 18
18	c	15		3, *v.* 27 ad 4, [*v.* 20	20, *v.* 17	4, *v.* 20, ad [5, *v.* 15	9, ad *v.* 18
19	d	14		5, *v.* 15	21, ad *v.* 17	6, ad *v.* 20	9, *v.* 18
20	e	13	Margaretæ, Virg. et M. Antioch.	7	21, *v.* 17 ad [*v.* 37	8	10, ad *v.* 24
21	f	12		9	21, *v.* 37 ad [22, *v.* 23	10, *v.* 16	10, *v.* 24
22	g	11	S. Mariæ Magd.	11, ad. *v.* 15	22, *v.* 23 ad [23, *v.* 12	11, *v.* 15	11
23	A	10		12, *v.* 10	23, *v.* 12	13	12, ad *v.* 22
24	b	9	Vigilia.	14, *v.* 9 ad *v.* [28	24	14, *v.* 28 ad [15, *v.* 18	12, *v.* 22
25	c	8	S. Jacobi, Ap. et Mart.	....	....	....	13, ad *v.* 24
26	d	7	S. Annæ, Matr. B.M.V.	15, *v.* 18	25	16, ad *v.* 20	13, *v.* 24 ad [*v.* 53
27	e	6		16, *v.* 31 ad [17, *v.* 18	26	18, *v.* 10	13, *v.* 53 ad [14, *v.* 13
28	f	5		19, *v.* 13	27	20, ad *v.* 23	14, *v.* 13
29	g	4		21, ad. *v.* 17	28, ad *v.* 17	22, ad *v.* 17	15, ad *v.* 21
30	A	3		23, *v.* 10	28, *v.* 17	24, *v.* 21	15, *v.* 21
31	b	Prid.		25	Roman. 1	26, ad *v.* 21	16, ad *v.* 24

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			Ad Matutinas. *Lectio Prima.*	Ad Matutinas. *Lectio Secunda.*	Ad Vesperas. *Lectio Prima.*	Ad Vesperas. *Lectio Secunda.*
1	c	KAL.	S. Petri ad vincula	Prov. 27, ad *v.* [23	Rom. 2, ad *v.* [17	Prov. 28, ad *v.* [15	Matt. 16, *v.* 24 [ad 17, *v.* 14
2	d	4		30, ad *v.* 18	2, *v.* 17	31, *v.* 10	17, *v.* 14
3	e	3		Eccles. 1	3	Eccles. 2, ad [*v.* 12	18, ad *v.* 21
4	f	Prid.		3	4	4	18, *v.* 21 ad [19, *v.* 3
5	g	NON.		5	5	6	19, *v.* 3 ad *v.* [27
6	A	8	Transfiguratio DOMINI.	7	6	8	19, *v.* 27 ad [20, *v.* 17
7	b	7	Nominis JESU	9	7	11	20, *v.* 17
8	c	6		12	8, ad *v.* 18	Jerem. 1	21, ad *v.* 23
9	d	5		Jerem. 2, ad [*v.* 14	8, *v.* 18	5, ad *v.* 19	21, *v.* 23
10	e	4	S. Laurentii, Archid. Rom. et Mart.	5, *v.* 19	9, ad *v.* 19	6, ad *v.* 22	22, ad *v.* 15
11	f	3		7, ad *v.* 17	9, *v.* 19	8, *v.* 4	22, *v.* 15 ad [*v.* 41
12	g	Prid.		9, ad *v.* 17	10	13, *v.* 8 ad *v.* [24	22, *v.* 41 ad [23, *v.* 13
13	A	ID.		15	11, ad *v.* 25	17, ad *v.* 19	23, *v.* 13
14	b	19		18, ad *v.* 18	11, *v.* 25	19	24, ad *v.* 29
15	c	18		21	12	22, ad *v.* 13	24, *v.* 29
16	d	17		22, *v.* 13	13	23, ad *v.* 16	25, ad *v.* 31
17	e	16		24	14 et 15, ad [*v.* 8	25, ad *v.* 15	25, *v.* 31
18	f	15		26	15, *v.* 8	28	26, ad *v.* 31
19	g	14		29, *v.* 4 ad [*v.* 20	16	30	26, *v.* 31 ad [*v.* 57
20	A	13		31, ad *v.* 15	1 Cor. 1, ad *v.* [26	31, *v.* 15 ad [*v.* 38	26, *v.* 57
21	b	12		33, ad *v.* 14	1, *v.* 26 et 2	33, *v.* 14	27, ad *v.* 27
22	c	11		35	3	36, ad *v.* 14	27, *v.* 27 ad [*v.* 57
23	d	10	Vigilia.	36, *v.* 14	4, ad *v.* 18	38, ad *v.* 14	27, *v.* 57
24	e	9	S. Bartholom. Ap. et Mart.	....	4, *v.* 18 et 5	....	28
25	f	8		38, *v.* 14	6	39	Marci. 1, ad *v.* [21
26	g	7		50, ad *v.* 21	7, ad v. 25	51, *v.* 54	1, *v.* 21
27	A	6		Ezech. 1, ad *v.* [15	7, *v.* 25	Ezech. 1, *v.* 15	2, ad *v.* 23
28	b	5	S. Augustini, Epis. Hipp. Conf. Doct.	2	8	3, ad *v.* 15	2, *v.* 23 ad [3, *v.* 13
29	c	4	Decollatio S. Joannis Bapt.	3, *v.* 15	9	8	3, *v.* 13
30	d	3		9	10 et 11, *v.* 1	11, *v.* 14	4, ad *v.* 35
31	e	Prid.		12, *v.* 17	11, *v.* 2 ad *v.* [17	13, ad *v.* 17	4, *v.* 35 ad [5, *v.* 21

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

SEPTEMBER HABET DIES XXX.

mensis.	Litt. Dom.			AD MATUTINAS. Lectio Prima.	AD MATUTINAS. Lectio Secunda.	AD VESPERAS. Lectio Prima.	AD VESPERAS. Lectio Secunda.
1	f	KAL.	Egidii, Abbatis et Conf.	Ezech. 13, v. 17	1 Cor. 11, v. 17	Ezech. 14, ad v. 12	Marci 5, v. 21
2	g	4		14, v. 12	12, ad v. 28	16, v. 44	6, ad v. 14
3	A	3		18, ad v. 19	12, v. 28 et 13	18, v. 19	6, v. 14 ad v. 30
4	b	Prid.		20, ad v. 18	14, ad v. 20	20, v. 18 ad v. 33	6, v. 30
5	c	NON.		20, v. 33 ad v. 44	14, v. 20	22, v. 23	7, ad v. 24
6	d	8		24, v. 15	15, ad v. 35	26	7, v. 24 ad 8, v. 10
7	e	7	Enurchi, Episc. Aurelianens.	27, ad v. 26	15, v. 35	27, v. 26	8, v. 10 ad 9, v. 2
8	f	6	Nativitatis B.M.V.	28, ad v. 20	16	31	9, v. 2 ad v. 30
9	g	5		32, ad v. 17	2 Cor. 1 ad v. 23	33, ad v. 21	9, v. 30
0	A	4		33, v. 21	1, v. 23 ad 2, v. 14	34, ad v. 17	10, ad v. 32
1	b	3		34, v. 17	2, v. 14 et 3	36, v. 16 ad v. 33	10, v. 32
2	c	Prid.		37, ad v. 15	4	37, v. 15	11, ad v. 27
3	d	ID.		47, ad v. 13	5	Daniel 1	11, v. 27 ad 12, v. 13
4	e	18	Exalt. S. Crucis.	Daniel 2, ad v. 24	6 et 7, v. 1	2, v. 24	12, v. 13 ad v. 35
5	f	17		3	7, v. 2	4, ad v. 19	12, v. 35 ad 13, v. 14
6	g	16		4, v. 19	8	5, ad v. 17	13, v. 14
7	A	15	Lamberti, Episc. et Mart.	5, v. 17	9	6	14, ad v. 27
8	b	14		7, ad v. 15	10	7, v. 15	14, v. 27 ad v. 53
9	c	13		9, ad v. 20	11, ad v. 30	9, v. 20	14, v. 53
0	d	12	Vigilia.	10, ad v. 20	11, v. 30 ad 12, v. 14	12	15, ad v. 42
1	e	11	S. Matthæi, Ap. Evan. et Mart.	....	12, v. 14 et 13	....	15, v. 42 et 16
2	f	10		Osee 2, v. 14	Galat. 1	Osee 4, ad v. 13	Lucæ 1, ad v. 26
3	g	9		5, v. 8 ad 6, v. 7	2	7, v. 8	1, v. 26 ad v. 57
4	A	8		8	3	9	1, v. 57
5	b	7		10	4, ad v. 21	11 et 12, ad v. 7	2, ad v. 21
6	c	6	S. Cypr., Archiep. Carthag. et M.	13, ad v. 15	4, v. 21 ad 5, v. 13	14	2, v. 21
7	d	5		Joel 1	5, v. 13	Joel 2, ad v. 15	3, ad v. 23
8	e	4	S. Michaelis, et omn. Angelorum.	2, v. 15 ad v. 28	6	2, v. 28 ad 3, v. 9	4, ad v. 16
9	f	3		....	....	....	....
0	g	Prid.	Hieronymi, Presb. Conf. et Doct.	3, v. 9	Ephes. 1	Amos 1 et 2, ad v. 4	4, v. 16

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

OCTOBER HABET DIES XXXI

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			Ad Matutinas *Lectio Prima.*	Ad Matutinas *Lectio Secunda.*	Ad Vesperas *Lectio Prima.*	Ad Vesperas *Lectio Secunda.*
1	A	Kal.	Remigii, Ep. Rem.	Amos 2, v. 4 [ad 3, v. 9	Ephes. 2	Amos 4, v. 4	Lucæ 5, ad v. [17
2	b	6		5, ad v. 18	3	5, v. 18 ad [6, v. 9	5, v. 17
3	c	5		7	4, ad v. 25	8	6, ad v. 20
4	d	4		9	4, v. 25 ad 5 [v. 22	Abdiæ	6, v. 20
5	e	3		Jonæ 1	5, v. 22 ad 6, [v. 10	Jonæ 2	7, ad v. 24
6	f	Prid.	Fidei, Virg. et Mart.	3	6, v. 10	4	7, v. 24
7	g	Non.		Mich. 1, ad v. [10	Philipp. 1	Mich. 2	8, ad v. 26
8	A	8		3	2	4	8, v. 26
9	b	7	S. Dionysii Areop. Episc. et Mart.	5	3	6	9, ad v. 28
10	c	6		7	4	Nah. 1	9, v. 28 ad [v. 51
11	d	5		Nah. 2	Coloss. 1, ad [v. 21	3	9, v. 51 ad [10, v. 17
12	e	4		Habac. 1	1, v. 21 ad 2, [v. 8	Habac. 2	10, v. 17
13	f	3	Trans. Edvardi Regis et Conf.	3	2, v. 8	Soph. 1, ad v. [14	11, ad v. 29
14	g	Prid.		Soph. 1, v. 14 [ad 2, v. 4	3, ad v. 18	2, v. 14	11, v. 29
15	A	Id.		3	3, v. 18 et 4	Aggæi 1	12, ad v. 35
16	b	17		Aggæi 2, ad v. [10	1 Thessal. 1	2, v. 10	12, v. 35
17	c	16	Etheldredæ V.	Zach. 1, ad v. [18	2	Zach. 1, v. 18 [et 2	13, ad v. 18
18	d	15	S. Lucæ, Evan.	....	3	....	13, v. 18
19	e	14		3	4	4	14, ad v. 25
20	f	13		5	5	6	14, v. 25 ad [15, v. 11
21	g	12		7	2 Thessal. 1	8, ad v. 14	15, v. 11
22	A	11		8, v. 14	2	9, v. 9	16
23	b	10		10	3	11	17, ad v. 20
24	c	9		12	1 Tim. 1, ad [v. 18	13	17, v. 20
25	d	8	Crispini, Mart.	14	1, v. 18 et 2	Malach. 1	18, ad v. 31
26	e	7		Malach. 2	3	3, ad v. 13	18, v. 31 ad [19, v. 11
27	f	6	Vigilia.	3, v. 13 et 4	4	Sapient. 1	19, v. 11 ad [v. 28
28	g	5	SS. Simonis et Judæ, Ap. et M.	....	5	....	19, v. 28
29	A	4		Sapient. 2	6	4, v. 7	20, ad v. 27
30	b	3		6, ad v. 22	2 Timoth. 1	6, v. 22 ad [7, v. 15	20, v. 27 ad [21 v. 5
31	c	Prid.	Vigilia.	7, v. 15	2	8, ad v. 19	21, v. 5

NOVEMBER HABET DIES XXX

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			AD MATUTINAS. *Lectio Prima.*	AD MATUTINAS. *Lectio Secunda.*	AD VESPERAS. *Lectio Prima.*	AD VESPERAS. *Lectio Secunda.*
1	d	Kal.	Omnium Sanctorum.	....	....	....	....
2	e	4		Sapient. 9	2 Tim. 3	Sapient. 11, ad v. 15	Lucæ 22, ad v. 31
3	f	3		11, v. 15 ad 12, v. 3	4	17	22, v. 31 ad v. 54
4	g	Prid.		Eccli. 1, ad v. 14	Tit. 1	Eccli. 2	22, v. 54
5	A	Non.		3, v. 17 ad v. 30	2	4, v. 10	23, ad v. 26
6	b	8	Leonardi, Conf.	5	3	7, v. 27	23, v. 26 ad v. 50
7	c	7		10, v. 18	Philem.	14, ad v. 20	23, v. 50 ad 24, v. 13
8	d	6		15, v. 9	Hebr. 1	16, v. 17	24, v. 13
9	e	5		18, ad v. 15	2 et 3, ad v. 7	18, v. 15	Joan. 1, ad v. 29
10	f	4		19, v. 13	3, v. 7 ad 4, v. 14	22, v. 6 ad v. 24	1, v. 29
11	g	3	S. Martini, Ep. et Conf.	24, ad v. 24	4, v. 14 et 5	24, v. 24	2
12	A	Prid.		33, v. 7 ad v. 23	6	34, v. 15	3, ad v. 22
13	b	Id.	Britii, Episc.	35	7	37, v. 8 ad v. 19	3, v. 22
14	c	18		39, ad v. 13	8	39, v. 13	4, ad v. 31
15	d	17	Machuti, Episc.	41, ad v. 14	9	42, v. 15	4, v. 31
16	e	16		44, ad v. 16	10, ad v. 19	50, ad v. 25	5, ad v. 24
17	f	15	Hugonis, Epis. Lincoln.	51, v. 10	10, v. 19	Bar. 4, ad v. 21	5, v. 24
18	g	14		Bar. 4, v. 36 et 5	11, ad v. 17	Isaiæ 1, ad v. 21	6, ad v. 22
19	A	13		Isaiæ 1, v. 21	11, v. 17	2	6, v. 22 ad v. 41
20	b	12	Edmundi, Reg. et Mart.	3, ad v. 16	12	4, v. 2	6, v. 41
21	c	11		5, ad v. 18	13	5, v. 18	7, ad v. 25
22	d	10	Cæciliæ, Virg. et Mart.	6	Jacob. 1	7, ad v. 17	7, v. 25
23	e	9	S. Clement. I. Epis. Rom. et Mart.	8, v. 5 ad v. 18	2	8, v. 18 ad 9, v. 8	8, ad v. 31
24	f	8		9, v. 8 ad 10, v. 5	3	10, v. 5 ad v. 20	8, v. 31
25	g	7	Catharinæ, Virg. et Mart.	10, v. 20	4	11, ad v. 10	9, ad v. 39
26	A	6		11, v. 10	5	12	9, v. 39 ad 10, v. 22
27	b	5		13	1 Petri 1, ad v. 22	14, ad v. 24	10, v. 22
28	c	4		17	1, v. 22 ad 2, v. 11	18	11, ad v. 17
29	d	3	Vigilia.	19, ad v. 16	2, v. 11 ad 3, v. 8	19, v. 16	11, v. 17 ad v. 47
30	e	Prid.	S. Andreæ, Ap. et Mart.	....	....	....	....

KALENDARIUM ET TABULA LECTIONUM.

DECEMBER HABET DIES XXXI.

Dies Mensis.	*Litt. Dom.*			AD MATUTINAS.		AD VESPERAS.	
				Lectio Prima.	*Lectio Secunda.*	*Lectio Prima.*	*Lectio Secunda.*
1	f	KAL.		Isaiæ 21, ad [v. 13	1 Pet. 3, v. 8 [ad 4, v. 7	Isaiæ 22, ad v. [15	Joan. 11, v. 47 [ad 12, v. 20
2	g	4		22, v. 15	4, v. 7	23	12, v. 20
3	A	3		24	5	25	13, ad v. 21
4	b	Prid.		26, ad v. 20	2 Petri 1	26, v. 20 et [27	13, v. 21
5	c	NON.		28, ad v. 14	2	28, v. 14	14
6	d	8	Nicolai, Episc. Myren.	29, ad v. 9	3	29, v. 9	15
7	e	7		30, ad v. 18	1 Joan. 1	30, v. 18	16, ad v. 16
8	f	6	Conceptio B.M.V.	31	2, ad v. 15	32	16, v. 16
9	g	5		33	2, v. 15	34	17
10	A	4		35	3, ad v. 16	40, ad v. 12	18, ad v. 28
11	b	3		40, v. 12	3, v. 16 ad [4, v. 7	41, ad v. 17	18, v. 28
12	c	Prid.		41, v. 17	4, v. 7	42, ad v. 18	19, ad v. 25
13	d	ID.	Luciæ, Virg. et Mart.	42, v. 18 ad [43, v. 8	5	43, v. 8	19, v. 25
14	e	19		44, ad v. 21	2 Joan.	44, v. 21 ad [45, v. 8	20, ad v. 19
15	f	18		45, v. 8	3 Joan.	46	20, v. 19
16	g	17	O Sapientia	47	Judæ	48	21
17	A	16		49, ad v. 13	Apoc. 1	49, v. 13	Apoc. 2, ad v. [18
18	b	15		50	2, v. 18 ad 3, [v. 7	51, ad v. 9	3, v. 7
19	c	14		51, v. 9	4	52, ad v. 13	5
20	d	13	Vigilia.	52, v. 13 et [53	6	54	7
21	e	12	S. Thomæ, Ap. et Mart.	....	....	....	....
22	f	11		55	8	56	10
23	g	10		57	11	58	12
24	A	9	Vigilia.	59	14	60	15
25	b	8	Nativ. D.N.J.C.	....	....	....	....
26	c	7	S. Stephani, Protomart.	....	....	....	....
27	d	6	S. Joan., A. et E.	....	....	....	....
28	e	5	SS. Innocent.	....	16	....	18
29	f	4		61	19, ad v. 11	62	19, v. 11
30	g	3		63	20	64 et 65, ad [v. 8	21, ad v. 15
31	A	Prid.	Silvestri, Epis. Rom.	65, v. 8	21, v. 15 ad [22, v. 6	66	22, v. 6

TABULÆ ET REGULÆ

FESTORUM MOBILIUM ET IMMOBILIUM ET DIERUM JEJUNII ET ABSTINENTIÆ PER TOTUM ANNUM.

REGULÆ QUIBUS REPERIRI POTEST QUANDO FESTA MOBILIA ET TEMPORA SACRA INCIPIANT.

DIES Paschæ (ex quo reliqua festa mobilia pendent) ea semper est Dominica quæ proxime succedit xiv. Lunæ quæ diem xxi. mensis Martii proxime sequitur. Si autem dies xiv. Lunæ in diem Dominicum forte inciderit, proxima Dominica sit dies Paschæ.

Dominica Adventus ea semper est Dominica quæ Festo Sancti Andreæ proxima sit vel ante vel post.

Dominica	Septuagesimæ	est	Nona.	ante Pascha.
	Sexagesimæ	,,	Octava.	
	Quinquagesimæ	,,	Septima.	
	Quadragesimæ	,,	Sexta.	

Dominica Rogationum	est	Quinta.	post Pascha.
Dies Ascensionis	,,	XLmus.	
Dominica Pentecostes	,,	Septima.	
Dominica SS. Trinitatis	,,	Octava.	

TABULA FESTORUM OMNIUM IN ECCLESIA ANGLICANA PER TOTUM ANNUM OBSERVANDORUM.

Dominica quæque per annum.
Festum Circumcisionis DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
,, Epiphaniæ.
,, Conversionis S. Pauli.
,, Purificationis Beatæ Virginis.
,, S. Matthiæ Apostoli.
,, Annuntiationis Beatæ Virginis.
,, S. Marci Evangelistæ.
,, SS. Philippi et Jacobi Apostolorum.
,, Ascensionis DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
,, S. Barnabæ.
,, Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
,, S. Petri Apostoli.
,, S. Jacobi Apostoli.
,, S. Bartholomæi Apostoli.
,, S. Matthæi Apostoli.
,, S. Michaelis et omnium Angelorum.
,, S. Lucæ Evangelistæ.
,, SS. Simonis et Judæ Apostolorum.
,, Omnium Sanctorum.
,, S. Andreæ Apostoli.
,, S. Thomæ Apostoli.
,, Nativitatis DOMINI NOSTRI.
,, S. Stephani Martyris.
,, S. Joannis Evangelistæ.
,, Innocentium.
Feria Secunda et Tertia infra Octavam Paschæ.
Feria Secunda et Tertia infra Octavam Pentecostes.

TABULA VIGILIARUM, JEJUNIORUM, ET DIERUM ABSTINENTIÆ PER TOTUM ANNUM OBSERVANDORUM.

Vigilia Nativitatis DOMINI NOSTRI.
,, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
,, Annuntiationis Beatæ Virginis.
,, Paschæ.
,, Ascensionis.
,, Pentecostes.
,, S. Matthiæ.
,, S. Joannis Baptistæ.
,, S. Petri.
,, S. Jacobi.
,, S. Bartholomæi.
,, S. Matthæi.
,, SS. Simonis et Judæ.
,, S. Andreæ.
,, S. Thomæ.
,, Omnium Sanctorum.

Nota, quod si quis ex istis Diebus Festis in Feria Secunda occurrat, Vigilia aut Jejunium non in Dominica proxime præcedenti, sed in Sabbato, observetur.

DIES JEJUNII, VEL ABSTINENTIÆ.

I. Dies XL. Quadragesimæ.

II. Jejunia Quatuor Temporum, sc. Feria Quarta et Sexta, et Sabbatum, post

Dominicam Primam Quadragesimæ,
Festum Pentecostes,
Septembris diem decimum quartum,
Decembris diem decimum tertium.

III. Dies Rogationum tres, sc. Feria Secunda, Tertia, et Quarta, ante Festum Ascensionis DOMINI NOSTRI.

IV. Feria Sexta quæque per annum, Festo Nativitatis DOMINI excepto.

Ordo in Matutinis et Vesperis

QUOTIDIE PER TOTUM ANNUM DICENDIS.

MATUTINÆ et Vesperæ dicantur in partibus Ecclesiarum, Capellarum, et Chororum, consuetis, nisi aliter Ordinario Loci visum fuerit. Chori etiam ita maneant quemadmodum in tempore præterito fuere.

Et hic notandum est, quod ea tum Ecclesiæ tum Ministrorum ejus, in omni Ministratione sua, Ornamenta in usu sunt retinenda, quæ, auctoritate Parliamenti, in anno secundo Regis Edvardi Sexti, in hac Ecclesia Anglicana exstitere.

Ordo Matutinarum

QUOTIDIE PER TOTUM ANNUM OBSERVANDUS.

In principio Matutinarum Minister clara voce legat unam aliquam sive plures ex Sacræ Scripturæ Sententiis quæ consequuntur. Et postea dicat quod infra has Sententias scriptum est.

CUM averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Ezech. xviii. 27.

Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Ps. li. 5.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Ps. li. 11.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ps. li. 19.

Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. Joel ii. 13.

Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te: et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus quam posuit nobis. Dan. ix. 9, 10.

Corripe me, Domine, verumtamen in judicio; et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Jer. x. 24: Ps. vi. 2.

Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. S. Matt. iii. 2.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei, Pater, peccavi in cœlum, et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. S. Luc. xv. 18, 19.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. cxliii. 2.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est: si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1 S. Joan. i. 8, 9.

DILECTISSIMI fratres, Sacra Scriptura multis in locis nos commonefacit,

ut multiplicia peccata nostra et iniquitatem nostram agnoscamus et confiteamur; nec ea in conspectu Dei Omnipotentis, Patris nostri cœlestis, audeamus dissimulare; sed animo demisso, humili, contrito, et obedienti confiteamur; quatenus, per infinitam bonitatem et misericordiam ejus, indulgentiam consequamur. Et quanquam in omni tempore peccata nostra coram Deo humiliter agnoscenda sunt, tunc tamen præcipue hoc agendum est cum in publicum cœtum ideo convocati sumus, ut pro magnis ab eo collatis beneficiis gratias referamus, ut ejus laudes dignas annuntiemus, et sanctissimum ejus Verbum audiamus, et ut quicquid animorum status aut corporis requirit ab eo postulemus. Quapropter vos omnes, qui adestis, rogo et obsecro ut, puro corde, et voce humili, ad thronum gratiæ cœlestis mecum accedatis, ita me præeunte dicentes:

Confessio Generalis ab universa Congregatione, Ministro praeunte, dicenda, genibus flexis.

OMNIPOTENS et clementissime Pater; Peccavimus, et a viis tuis erravimus sicut oves quæ perierunt. Inventis et concupiscentiis cordis nostri nimium indulsimus. Sacrosanctas leges tuas violavimus. Quæ facienda erant omisimus: Et quæ facienda non erant admisimus; Et in nobis nulla est salus. Tu autem, Domine, miserere nostri, miserorum peccatorum. Parce, Deus, peccata confitentibus. Pœnitentes restitue; Secundum promissiones tuas humano generi in Christo Jesu Domino nostro declaratas. Propter quem concede, clementissime Pater; Ut posthac pie, juste, sobrieque vivamus, Ad gloriam sancti Nominis Tui. Amen.

Absolutio, sive Remissio Peccatorum, a Sacerdote solo pronuntianda, ipso stante; populo, ut antea, genuflexo.

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui non vult mortem peccatoris, sed potius ut se ab impictate sua avertat, et vivat; quique Ministris suis potestatem dedit, immo præcepit, ut populo suo pœnitenti Absolutionem Remissionemque peccatorum eorum declarent et pronuntient: Ipse singulis vere pœnitentibus, et sacrosanctum Evangel-

ium suum sincere credentibus, indulgentiam concedit et absolutionem. Quapropter veram pœnitentiam et Spiritum Sanctum ejus ab eo postulemus, quò hæc ei complaceant quæ nunc agimus, et vitam reliquam pure sancteque peragamus, et ita tandem ad æterna ejus gaudia perveniamus; per Jesum Christum Dominum nostrum.

Hic, et ad finem omnium orationum, populus respondeat, ***Amen.***

Tunc Minister, genibus flexis, Orationem Dominicam alta voce dicat; populo etiam, genibus flexis, cum illo eandem, et hic, et ubicunque in Officio Divino dicenda sit, recitante.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo: Quia tuum est regnum, Potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicat etiam,

Domine, labia nostra aperies.

Resp. **Et os nostrum annuntiabit laudem tuam.**

Sacerdos. **Deus, in adjutorium nostrum intende.**

Resp. **Domine, ad adjuvandum nos festina.**

Hic, omnibus sese erigentibus, dicat Sacerdos.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Resp. **Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.**

Sacerdos. **Alleluia.**

Resp. **Sit Nomen Domini benedictum.**

Tunc dicatur vel cantetur Psalmus hic sequens: nisi in Die Sancto Paschæ, cui alia assignatur Antiphona. Item in die undevicesimo cujusque mensis non hoc loco, sed in ordinario Psalmorum cursu, est legendus.

Venite, exultemus Dno.

Psal. xcv.

VENITE, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem ejus in confessione: et in psalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus

Dominus: et rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: et siccam manus ejus formaverunt.

Venite adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster:

Et nos populus pascuæ ejus: et oves manus ejus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;

Sicut in irritatione: secundum diem tentationis in deserto.

Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt me, et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi: et dixi, Semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Tunc sequantur Psalmi eo in ordine quo sunt præscripti. Et ad finem cujusque Psalmi per annum, necnon ad finem Canticorum **Benedicite, Benedictus, Magnificat,** et **Nunc dimittis,** recitetur,

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Post Psalmos distincte et clara voce legatur Lectio Prima ex Veteri Testamento desumpta, ut in Kalendario proponitur, nisi diei assignatæ fuerint propriæ Lectiones: Qui autem legit eo modo versa facie stet quo commodius a præsentibus audiri possit.

Postea dicatur aut cantetur [Anglice] hymnus quem vocant **Te Deum Laudamus,** quotidie per totum annum.

Et sciendum est, Quod ante singulas Lectiones Minister dicat, **Hic incipit hoc** vel **illud Caput hujusce Libri,** vel **hic** vel **ille versus hujusce** vel **illius Capitis:** Et ad finem cujuslibet Lectionis, sic: **Hic finitur Lectio** vel **Prima,** vel **Secunda.**

Te Deum laudamus.

TE Deum laudamus : te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi Cœli et universæ Potestates.

Tibi Cherubim et Seraphin, incessabili voce proclamant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra : majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus : laudat exercitus.

Te per orbem terrarum : sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum, verum et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.

Judex crederis esse *venturus.*

Te ergo quæsumus, famulis tuis subveni : quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis : in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine : et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus Nomen tuum in sæculum : et in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto : sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine : miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos : quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi : non confundar in æternum.

Vel hoc Canticum.

Benedicite, omnia opera.

BENEDICITE omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite cœli Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite omnes virtutes

Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite sol et luna Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite stellæ cœli Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite omnis imber et ros Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite omnes spiritus Dei Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite ignis et æstus Domino : laudate et superaltate eum in sæcula.

Benedicite frigus et æstas Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite rores et pruina Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite gelu et frigus Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite glacies et nives Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite noctes et dies Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite lux et tenebræ Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite fulgura et nubes Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet *eum in sæcula.*

Benedicite montes et colles Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite universa germinantia in terra Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite fontes Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite maria et flumina Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite omnes volucres cœli Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite filii hominum Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicat Israel Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite servi Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite sancti et humiles corde Domino : lau-

date et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde simili modo legatur Lectio Secunda, e Testamento Novo desumpta. Et post eam, hic sequens Hymnus ; nisi in Lectione de Die, vel in Evangelio de Festo S. Joannis Baptistæ, legendus occurrerit.

Benedictus.

S. Luc. i. 68.

BENEDICTUS Dominus Deus Israel : quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ ;

Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui ;

Sicut locutus est per os sanctorum : qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus ;

Salutem ex inimicis nostris : et de manu omnium qui oderunt nos ;

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : et memorari Testamenti sui sancti ;

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum : daturum se nobis ;

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati : serviamus illi ;

In sanctitate et justitia coram ipso : omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus ;

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri : in quibus visitavit nos Oriens ex alto ;

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Vel hic Psalmus,

Jubilate Deo.

Psal. c.

JUBILATE Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus : in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pas-

cuæ ejus, introite portas ejus in confessione: atria ejus in hymnis; confitemini illi.

Laudate Nomen ejus; quoniam suavis est Dominus; in æternum misericordia ejus: et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde cantetur vel dicatur Symbolum Apostolorum a Ministro et Populo, stantibus: nisi in iis tantum diebus in quibus Symbolum Sancti Athanasii est legendum.

CREDO in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ:

Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine, Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, et sepultus: Descendit ad inferos: Tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad cœlos, Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, Et vitam æternam. Amen.

Et postea, hæc sequentes Preces, omnibus religiose genuflexis; Ministro primum alta voce pronuntiante,

Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.
Minister. Oremus.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde Minister, Clerici, et populus alta voce dicant Orationem Dominicam.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Deinde erigat se Sacerdos, sic dicens,

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

Resp. Et salutare tuum da nobis.

Sacerdos. **Domine, salvam fac Reginam.**

Resp. **Et exaudi nos in die qua invocaverimus te.**

Sacerdos. **Sacerdotes tui induantur justitiam.**

Resp. **Et sancti tui exultent.**

Sacerdos. **Salvum fac populum tuum, Domine.**

Resp. **Et benedic hæreditati tuæ.**

Sacerdos. **Da pacem, Domine, in diebus nostris.**

Resp. **Quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.**

Sacerdos. **Cor mundum crea in nobis, Deus.**

Resp. **Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a nobis.**

Has Preces sequantur tres Orationes; prima de Die, ea scilicet quæ assignatur dicenda ad Communionem; secunda, pro Pace; tertia, pro Gratia ad bene vivendum. Quæ duæ posteriores Orationes nunquam mutentur, sed quotidie per integrum annum ad Matutinas dicantur, ut sequitur; omnibus genuflexis.

Secunda Oratio, pro Pace.

DEUS, auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est: Protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos; ut qui in tua defensione confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus, per potentiam Jesu Christi Domini nostri. ***Amen.***

Tertia Oratio, pro Gratia.

DOMINE Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti; Tua nos hodie salva virtute; et concede ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec ullum incurramus periculum; sed semper ad tuam justitiam faciendam omnis nostra actio tuo moderamine dirigatur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

In Choris et Locis ubi Cantores sint, hic sequitur Antiphona.

Deinde quinque Orationes hic sequentes hoc loco legendæ sunt, nisi cum Litania legatur; quo in casu duæ tantum posteriores, sicut ibi etiam assignantur, sunt legendæ.

Oratio pro Regia Majestate.

DOMINE, Pater noster cœlestis, qui maximus potentissimusque es Rex regum, Dominus dominantium, et principum unicus Moderator, qui de throno tuo omnes terræ incolas in-

tueris; Supplices te rogamus ut Dominam nostram clementissimam, Reginam Victoriam, benignus respicias; et eam Sancti tui Spiritus gratia ita adimpleas, ut semper ad tuam voluntatem se inclinet, et in via tua ambulet. Accumula in eam cœlestia tua dona: fac ut diu sana et salva vivat; eam ita corrobora ut omnes hostes devincat; et tandem, post hanc vitam, ad æternæ beatitudinis gaudia perveniat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.* (1560.*)

Oratio pro Domo Regia.

OMNIPOTENS Deus, fons totius bonitatis, supplices te rogamus, ut Albertum Edvardum Principem Walliæ, Principissam Walliæ, et universam Gentem Regiam, benedicere, Spiritu Sancto tuo adornare, cœlesti gratia ditare, omni felicitate prosperare, et ad regnum tuum cœleste perducere digneris. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio pro Clero et Populo.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus; Prætende super famulos tuos Pontifices nostros, et Parochos, et super cunctos Greges illis commissos, Spiritum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Hoc quæsumus, Domine, donare digneris, in honorem Advocati et Mediatoris nostri Jesu Christi. *Amen.*

Oratio Sancti Chrysostomi.

OMNIPOTENS Deus, qui nobis gratiam dedisti, ut hoc tempore concordes te communi supplicatione invocemus; et duobus vel tribus congregatis in Nomine tuo te quod rogaverint daturum polliceris: Vota, quæsumus, Domine, et petitiones famulorum tuorum, jam prout illis maxime expediat, prosequere; nobis in hoc sæculo veritatis tuæ cognitionem, et in futuro vitam largiens æternam. *Amen.*

2 ad Corinthios, cap. xiii.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. *Amen.*

Finis Ordinis Matutinarum per totum Annum.

Ordo Vesperarum

QUOTIDIE PER TOTUM ANNUM OBSERVANDUS.

In principio Vesperarum Minister clara voce legat unam aliquam sive plures ex Sacræ Scripturæ Sententiis quæ consequuntur. Et postea dicat quod infra has Sententias scriptum est.

CUM averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Ezech. xviii. 27.

Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Ps. li. 5.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Ps. li. 11.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ps. li. 19.

Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. Joel ii. 13.

Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te: et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus quam posuit nobis. Dan. ix. 9, 10.

Corripe me, Domine, verumtamen in judicio; et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Jer. x. 24; Ps. vi. 2.

Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. S. Matt. iii. 2.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei, Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. S. Luc. xv. 18, 19.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. cxliii. 2.

Si dixerimus quoniam pec-

catum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est: si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1 S. Joan. i. 8, 9.

DILECTISSIMI fratres, Sacra Scriptura multis in locis nos commonefacit, ut multiplicia peccata nostra et iniquitatem nostram agnoscamus et confiteamur; nec ea in conspectu Dei Omnipotentis, Patris nostri cœlestis, audeamus dissimulare; sed animo demisso, humili, contrito, et obedienti confiteamur; quatenus, per infinitam bonitatem et misericordiam ejus, indulgentiam consequamur. Et quanquam in omni tempore peccata nostra coram Deo humiliter agnoscenda sunt, tunc tamen præcipue hoc agendum est cum in publicum cœtum ideo convocati sumus, ut pro magnis ab eo collatis beneficiis gratias referamus, ut ejus laudes dignas annuntiemus, et sanctissimum ejus Verbum audiamus, et ut quicquid animorum status aut corporis requirit ab eo postulemus. Quapropter vos omnes qui adestis rogo et obsecro, ut puro corde, et voce humili, ad thronum gratiæ cœlestis mecum accedatis, ita me præeunte dicentes:

Confessio Generalis ab universa Congregatione, Ministro præeunte, dicenda, genibus flexis.

OMNIPOTENS et clementissime Pater; Peccavimus, et a viis tuis erravimus sicut oves quæ perierunt. Inventis et concupiscentiis cordis nostri nimium indulsimus. Sacrosanctas leges tuas violavimus. Quæ facienda erant omisimus; Et quæ facienda non erant admisimus; Et in nobis nulla est salus. Tu autem, Domine, miserere nostri, miserorum peccatorum. Parce, Deus, peccata confitentibus. Pœnitentes restitue; Secundum promissiones tuas humano generi in Christo Jesu Domino nostro declaratas. Propter quem concede, clementissime Pater; Ut posthac pie, juste, sobrieque vivamus, Ad gloriam sancti Nominis tui. Amen.

Absolutio, sive Remissio Peccatorum, a Sacerdote solo pronuntianda, ipso stante; populo, ut antea, genuflexo.

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini nostri

Jesu Christi, qui non vult mortem peccatoris, sed potius ut se ab impietate sua avertat, et vivat; quique Ministris suis potestatem dedit, immo præcepit, ut populo suo pœnitenti Absolutionem Remissionemque peccatorum eorum declarent et pronuntient: Ipse singulis vere pœnitentibus, et sacrosanctum Evangelium suum sincere credentibus, indulgentiam concedit et absolutionem. Quapropter veram pœnitentiam et Spiritum Sanctum ejus ab eo postulemus, quò hæc ei complaceant quæ nunc agimus, et vitam reliquam pure sancteque peragamus, et ita tandem ad æterna ejus gaudia perveniamus; per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tunc Minister, genibus flexis, Orationem Dominicam dicat: populo etiam, genibus flexis, cum illo eandem recitante.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo: Quia tuum est regnum, Potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicat etiam.

Domine, labia nostra aperies.

Resp. Et os nostrum annuntiabit laudem tuam.

Sacerdos. Deus, in adjutorium nostrum intende.

Resp. Domine, ad adjuvandum nos festina.

Hic, omnibus sese erigentibus, dicat Sacerdos.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos. Alleluia.

Resp. Sit Nomen Domini benedictum.

Tunc dicantur vel cantentur Psalmi eo in ordine quo sunt præscripti. Deinde Lectio ex veteri Testamento, sicut ordinatum est. Et postea Magnificat (sive Canticum Beatæ Mariæ Virginis) [Anglicè] ut sequitur.

Magnificat.

S. Luc. i. 46.

MAGNIFICAT: anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : et sanctum Nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies : timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum : recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros : Abraham et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Vel hic Psalmus : nisi in Die Mensis undevicesimo, quando legitur in cursu ordinario Psalmorum.

Cantate Domino.

Psal. xcviii.

CANTATE Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ : et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri : jubilate Deo, omnis terra ; cantate, exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini : moveatur mare, et plenitudo ejus ; orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia : et populos in æquitate.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde Lectio de Testamento Novo, sicut ordinatum est. Et post eam, **Nunc dimittis** sive Canticum Simeonis [Anglicè] ut sequitur.

Nunc dimittis.

S. Luc. ii. 29.

NUNC dimittis servum tuum, Domine : secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei : salutare tuum.

Quod parasti : ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem Gentium : et gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Vel hic Psalmus ; nisi in Die Mensis duodecimo.

Deus misereatur.

Psal. lxvii.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster ; benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde cantetur vel dicatur Symbolum Apostolorum a Ministro et populo, stantibus.

CREDO in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ :

Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum : Qui conceptus est de Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine, Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, et sepultus : Descendit ad inferos : Tertia die resurrexit a mortuis : Ascendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis : Inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, Et vitam æternam. Amen.

Et postea, hæ sequentes Preces, omnibus religiose genuflexis; Ministro primum alta voce pronuntiante.

Dominus vobiscum.
Resp. **Et cum spiritu tuo.**
Minister. **Oremus.**

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde Minister, Clerici, et populus alta voce dicant Orationem Dominicam.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Deinde erigat se Sacerdos, sic dicens.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
Resp. **Et salutare tuum da nobis.**
Sacerdos. **Domine, salvam fac Reginam.**
Resp. **Et exaudi nos in die qua invocaverimus te.**
Sacerdos. **Sacerdotes tui induantur justitiam.**
Resp. **Et sancti tui exultent.**
Sacerdos. **Salvum fac populum tuum, Domine.**
Resp. **Et benedic hæreditati tuæ.**
Sacerdos. **Da pacem, Domine, in diebus nostris.**
Resp. **Quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.**
Sacerdos. **Cor mundum crea in nobis, Deus.**
Resp. **Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a nobis.**

Has Preces sequantur tres Orationes; prima, de Die; secunda, pro Pace; tertia, pro Dei adjutorio adversus omnia pericula, sicut posthac sequuntur; quæ duæ posteriores Orationes quotidie ad Vesperas dicantur sine mutatione.

Secunda Oratio ad Vesperas.

DEUS, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera; Da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per merita Jesu Christi Salvatoris nostri. ***Amen.***

Tertia Oratio, pro Dei adjutorio adversus omnia pericula.

ILLUMINA, quæsumus Domine Deus, tenebras nostras: et totius hujus noctis insidias tu a nobis repelle propitius. Propter unicum Filium tuum, Salvatorem nostrum, Jesum Christum. *Amen.*

In Choris et Locis ubi Cantores sint, hic sequitur Antiphona.

Oratio pro Regia Majestate.

DOMINE, Pater noster cœlestis, qui maximus potentissimusque es Rex regum, Dominus dominantium, et principum unicus Moderator, qui de throno tuo omnes terræ incolas intueris; Supplices te rogamus ut Dominam nostram clementissimam, Reginam Victoriam, benignus respicias; et eam Sancti tui Spiritus gratia ita adimpleas, ut semper ad tuam voluntatem se inclinet, et in via tua ambulet. Accumula in eam cœlestia tua dona; fac ut diu sana et salva vivat; eam ita corrobora ut omnes hostes devincat; et tandem, post hanc vitam, ad æternæ beatitudinis gaudia perveniat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.* (1560.*)

Oratio pro Domo Regia.

OMNIPOTENS Deus, fons totius bonitatis, supplices te rogamus, ut Albertum Edvardum Principem Walliæ, Principissam Walliæ, et universam Gentem Regiam, benedicere, Spiritu Sancto tuo adornare, cœlesti gratia ditare, omni felicitate prosperare, et ad regnum tuum cœleste perducere digneris. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio pro Clero et Populo.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus; Prætende super famulos tuos Pontifices nostros, et Parochos, et super cunctos Greges illis commissos, Spiritum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Hoc quæsumus, Domine, donare digneris, in honorem Advocati et Mediatoris nostri Jesu Christi. *Amen.*

Oratio Sancti Chrysostomi.

OMNIPOTENS Deus, qui nobis gratiam dedisti, ut hoc tempore con-

cordes te communi supplicatione invocemus; et duobus vel tribus congregatis in Nomine tuo te quod rogaverint daturum polliceris: Vota, quæsumus, Domine, et petitiones famulorum tuorum, jam prout illis maxime expediat, prosequere; nobis in hoc sæculo veritatis tuæ cognitionem, et in futuro vitam largiens æternam. *Amen.*

2 ad Corinthios, cap. xiii.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. *Amen.*

Finis Ordinis Vesperarum per totum Annum.

Ad Matutinas.

¶ In Festis Natalis Domini, Epiphaniæ, S. Matthiæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, S. Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Andreæ, et in Dominica S. Trinitatis, ad Matutinas, loco Symboli Apostolorum, hæc Confessio Christianæ Fidei nostræ quam vulgo vocant Symbolum Sancti Athanasii, cantetur vel dicatur a Ministro et populo, stantibus.

Quicunque vult.

QUICUNQUE vult salvus esse: ante omnia opus est ut teneat Catholicam Fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit: absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est: Ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate, veneremur.

Neque confundentes Personas: neque Substantiam separantes.

Alia est enim Persona Patris, alia Filii: alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, una est Divinitas: æqualis Gloria, coæterna Majestas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius: immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed unus Omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres dii: sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres domini: sed unus est Dominus.

Quia, sicut singillatim unamquamque Personam Deum ac Dominum confiteri: Christiana Veritate compellimur;

Ita tres deos aut dominos dicere: Catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius: nihil majus aut minus;

Sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt: et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supradictum est: et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate, veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse: ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo Fides recta, ut credamus et confiteamur: quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et Homo est;

Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus: et Homo est ex substantia Matris, in sæculo natus;

Perfectus Deus, perfectus Homo: ex anima rationali et humana carne subsistens;

Æqualis Patri secundum Divinitatem: minor Patre secundum Humanitatem.

Qui licet Deus sit et Homo: non duo tamen, sed unus est Christus;

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem: sed assumptione Humanitatis in Deum;

Unus omnino; non confusione Substantiæ: sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus;

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, Patris Omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica: quam nisi quisque fideliter crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Litania.

Litania, sive Supplicatio Generalis, cantanda aut dicenda post Matutinas diebus Dominicis, feriis quartis et sextis, atque aliis temporibus ex mandato Ordinarii.

PATER de cœlis Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Pater de cœlis Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus : miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens : miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens : miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus : miserere nobis miseris peccatoribus,

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris : parce nobis, Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretiosissimo sanguine tuo, et ne in æternum irascaris nobis.

Parce nobis, Domine.

Ab omni malo et calamitate; a peccato, ab insidiis et infestationibus diaboli; ab ira tua, et a damnatione perpetua,

Libera nos, Domine.

Ab omni cæcitate cordis; a superbia, ab appetitu inanis gloriæ, et ab hypocrisi; ab invidia, odio, malitia, et omni mala voluntate,

Libera nos, Domine.

A fornicatione, cæterisque peccatis mortalibus; et ab omnibus illusionibus mundi, carnis, et diaboli,

Libera nos, Domine.

A fulgure et tempestate, a pestilentia et fame, a bello et homicidio, et a subitanea morte,

Libera nos, Domine.

Ab omni seditione, conjuratione, et rebellione; ab omni falsa doctrina, hæresi, et schismate; a duritia cordis, et contemptu verbi et mandati tui,

Libera nos, Domine.

Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ; per sanctam Nativitatem tuam et Circumcisionem; per Baptismum, Jejunium, et Tentationem tuam,

Libera nos, Domine.

Per Agoniam tuam et san-

guineum Sudorem; per Crucem et Passionem tuam; per pretiosam Mortem et Sepulturam tuam; per gloriosam Resurrectionem et Ascensionem tuam; et per Adventum Spiritus Sancti,

Libera nos, Domine.

In omni tempore tribulationis nostræ; in omni tempore prosperitatis nostræ; in hora mortis, et in die judicii,

Libera nos, Domine.

Peccatores te rogamus, audi nos, Domine Deus: et ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam in via recta regere et gubernare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut famulam tuam Victoriam, Reginam et gubernatricem nostram clementissimam, in vero tui cultu, in justitia et sanctitate vitæ, custodire et confirmare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut cor ejus in fide, timore, et amore tuo regere digneris, ut semper in te confidat, et in omnibus honorem et gloriam tuam quærat,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut eam conservare et defendere, eique victoriam contra omnes hostes ejus concedere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut Albertum Edvardum Principem Walliæ, Principissam Walliæ, et universam Gentem Regiam benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes Episcopos, Presbyteros, et Diaconos vera cognitione et recto intellectu verbi tui illuminare digneris; ut tam docendo quam vivendo id proferant et commendent,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut Consiliarios regios et totam Nobilitatem gratia, sapientia, et intellectu illustrare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut Magistratus benedicere et custodire et gratia donare digneris, qua exsequantur justitiam et custodiant veritatem,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnem populum tuum benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnibus gentibus unitatem, pacem, et concordiam largiri digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut cor nobis dare digneris, quo te amemus et timeamus, et secundum mandata tua diligenter vivamus,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omni populo tuo incrementum gratiæ donare digneris, quo verbum tuum humiliter audiat et puro animi affectu amplectatur, et fructus Spiritus proferat,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut errantes et seductos in viam veritatis reducere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut stantes confirmare, corde debiles confortare et sustentare, lapsos erigere, et Sathanam tandem sub pedibus nostris conterere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes in periculo, necessitate, et tribulatione constitutos sublevare, adjuvare, et consolari digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes terra marique peregrinantes, omnes mulieres parturientes, omnes ægrotantes et parvulos conservare, et omnibus in carcere detentis et captivis misericordiam tuam ostendere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut orphanis et viduis, desolatisque omnibus et oppressis, opitulari et providere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnibus hominibus misereri digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut inimicis, persecutoribus, et obtrectatoribus nostris ignoscere, et eorum corda convertere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut fructus terræ dare et conservare digneris, ut tempore opportuno eis utamur,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut nobis veram pœnitentiam concedere; omnia peccata nostra, negligentias, et ignorantias, condonare; et gratiam Sancti Spiritus infundere digneris, ut secundum sanctum verbum tuum vitam nostram emendemus,

Te rogamus audi nos, Dne.

Fili Dei : te rogamus, audi nos.

Fili Dei : te rogamus, audi nos.

Agnus Dei : qui tollis peccata mundi,

Dona nobis pacem tuam.

Agnus Dei : qui tollis peccata mundi,

Miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Tum Sacerdos et cum eo populus dicant Orationem Dominicam.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Amen.

Sacerdos. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

DEUS, misericors Pater, qui contritorum non despicis gemitum, et mœrentium non spernis affectum; Adesto propitius precibus nostris, quas tibi in omni tribulatione nostra, si

quando nos opprimat, offerimus: implorantes, ut solito pietatis tuæ intuitu quicquid contra nos diabolicæ fraudes atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio misericordiæ tuæ allidas; quatenus nos famuli tui, nullis infestationibus læsi, in Ecclesia tua sancta tibi gratias semper referamus consolati. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter honorem tuum.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Ab inimicis nostris defende nos, Christe.

Afflictionem nostram benignus vide.

Dolorem cordis nostri respice clemens.

Peccata populi tui pius indulge.

Orationes nostras pius exaudi.

Fili David, miserere nobis.

Hic et in perpetuum nos exaudire digneris, Christe.

Exaudi nos, Christe; exaudi nos, Domine Christe.

Sacerdos. Fiat misericordia tua, Domine, super nos:

Resp. *Quemadmodum speravimus in te.*

Oremus.

INFIRMITATEM nostram, supplices quæsumus, Pater, propitius respice: et mala omnia quæ juste meremur propter Nominis tui gloriam averte: et præsta, ut inter omnia adversa in misericordia tua omnino confidamus, et tibi semper in puritate et sanctitate vitæ serviamus, in honorem et gloriam tuam. Per unicum nostrum Mediatorem et Advocatum, Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio Sancti Chrysostomi.

OMNIPOTENS Deus, qui nobis gratiam dedisti ut hoc tempore concordes te communi supplicatione invocemus; et duobus vel tribus congregatis in Nomine tuo te quod rogaverint daturum polliceris; Vota, quæsumus, Domine, et petitiones famulorum tuorum, jam, prout illis maxime expediat, prosequere; nobis in hoc sæculo veritatis tuæ cognitionem, et in futuro vitam largiens æternam. *Amen.*

2 ad Corinthios, cap. xiii.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. *Amen.*

Finis Litaniæ.

Orationes et Gratiarum Actiones

AD DIVERSA,

Ante duas posteriores Litaniæ, seu Matutinarum et Vesperarum, Orationes recitandæ.

Orationes.

Pro Pluvia.

DEUS, Pater cœlestis, qui per Filium tuum Jesum Christum universis regnum tuum et ejus justitiam quærentibus omnia corporali vitæ necessaria promisisti: Nobis, quæsumus, in hac nostra necessitate pluviam tribue congruentem; ut terræ fructus ad nostram consolationem et honorem tuum percipiamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Aeris serenitate.

DOMINE Deus omnipotens, qui olim propter hominum peccata mundum universum, octo tantum hominibus exceptis, submersisti, et postea pro bonitate tua pollicitus es eum non iterum te ita deleturum: Supplices te rogamus, ut quamvis propter iniquitatem nostram nimia pluvia vexari meriti simus, pœnitentibus tamen eam aeris tribuas serenitatem, ut terræ fructus tempore opportuno percipiamus: et per pœnam illatam mores emendare, et pro clementia tua tibi grates reddere discamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tempore caritatis et famis.

DEUS, Pater cœlestis, cujus beneficio pluvia decidit, terra fit frugifera, animalia piscesque multiplicantur: Afflictiones populi tui, quæsumus, respice: et præsta ut hæc penuria et annonæ caritas, quam nunc pro peccatis juste patimur, in copiam et abundantiam rerum pietate tua convertantur. Propter Jesum Christum Dominum nostrum, cui tecum in unitate Spiritus Sancti sit honor et gloria, nunc et per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Aut sequens.

DEUS, Pater misericors, qui tempore Elisæi prophetæ in Samaria magnam penuriam et caritatem in vilitatem et copiam subito mutasti: Miserere nobis, ut qui nunc pro peccatis nostris similiter affligimur, similiter etiam opportune relevemur; fructus terræ bene-

dictione tua cœlesti adauge: et præsta ut nos, beneficentiæ tuæ largitatem accipientes, ea in tui gloriam, in subsidium indigentium, et consolationem nostram utamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tempore Belli et Tumultus.

OMNIPOTENS Deus, Rex regum et omnium Dominator, cujus potestati nulla creatura resistere valet; cujus est peccatores juste punire, et vere pœnitentibus misereri: Salva et libera nos, supplices te rogamus, a manu inimicorum: superbiam eorum reprime, malitiam mitiga, consilia conturba: ut tua defensione muniti ab omnibus periculis semper conservemur, ad glorificandum te solum victoriæ largitorem. Propter merita unici Filii tui, Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Tempore communis pestis sive morbi.

OMNIPOTENS Deus, qui populo tuo in eremo, contra Moysen et Aaronem pertinaciter rebellanti, pestem iratus immisisti: et in tempore regis David, septuaginta millia hominum peste destruxisti, sed misericordiæ tuæ recordatus conservasti reliquos: Miserere nobis miseris peccatoribus, nunc morbis et gravi mortalitate afflictis: et sicut tunc temporis propitiatus, Angelo vastatori castigationem omittere jussisti, ita nunc quoque a nobis hanc gravem pestem amovere digneris. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

In Quatuor Temporibus, pro iis qui in Sacros Ordines promovendi sunt, quotidie dicenda.

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, Ecclesiam universalem, quam tibi Filii tui dilectissimi pretioso sanguine acquisivisti, respice propitius; et hoc tempore famulorum tuorum Episcoporum, gregis tui Pastorum, mentes ita dirige et guberna, ut manus temere nemini imponant, sed fideliter et sapienter idoneos eligant, qui tibi in sacro Ecclesiæ ministerio serviant. Et iis qui ad quodvis munus sacrum ordinati fuerint, gratiam tuam et benedictionem cœlestem tribue: ut tam vivendo quam docendo gloriam tuam prædicent, et saluti omnium prospiciant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Sive hæc.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui divina providentia tua varios Ordines in Ecclesia constituisti; Da gratiam tuam, supplices quæsumus, iis omnibus qui ad quodvis in eadem officium sive administrationem sunt vocandi: et eos doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia

ı, ut in conspectu tuo fide-
ninistrent, ad magni tui
ıis gloriam, et ad profec-
.nctæ Ecclesiæ tuæ. Per
Christum Dominum nos-
Amen.

o quæ cuivis præceden-
ium apponi potest.

:US cui proprium est
misereri semper et par-
suscipe deprecationem
m; ut quos delictorum
. constringit, miseratio
etatis absolvat. Ad hon-
Jesu Christi, Mediatoris
et Advocati. *Amen.*

ımma curia Parliamenti,
durante Sessione.

:US clementissime, sup-
plices te rogamus cum
oc Regno universo, tum
ıe pro summa curia Par-
ıti, sub Regina nostra pia
menti jam congregata:
ınes eorum deliberationes
:e et prosperare digneris,
riæ tuæ incrementum, ad
ıiæ profectum, et ad Re-
nostræ regnique ejus sa-
decus, atque commod-
uo omnibus eorum opera
compositis, fundatis, et
tis, pax et felicitas, veritas
itia, religio et pietas, no-
›sterisque confirmentur.
:t cætera ipsis, nobis, et
sæ Ecclesiæ tuæ neces-
saria, supplices postulamus in Nomine Mediatoris nostri Jesu Christi, beatissimi Domini et Salvatoris. *Amen.*

Oratio pro omnibus hominibus cujuscunque conditionis, tunc dicenda cum Litania non recitanda est.

DEUS, humani generis Creator et Conservator, supplices te rogamus pro omnibus hominibus cujuscunque conditionis, ut iis vias tuas, et omnibus gentibus salutare tuum, ostendere digneris. Et præcipue pro bono statu Ecclesiæ Catholicæ; quam bono Spiritu tuo, quæsumus, ita dirigas et gubernes, ut omnes qui se Christianos profitentur, in viam veritatis ducti, in unitate spiritus, in vinculo pacis, et in justitia vitæ fidem teneant. Postremo paternæ bonitati tuæ omnes illos commendamus qui quovis modo, in mente, corpore, aut rebus, anguntur aut laborant; [**eos præsertim pro quibus orationes nostræ poscuntur,*] ut eos, prout variæ eorum requirunt necessitates, consolari et relevare digneris, et fortitudinem in patiendo, et felicem e pressuris exitum concedens. Quod propter Jesum Christum te rogamus. *Amen.*

* Hoc dicendum est si aliqui Populum ut pro eis oret rogaverint.

¶ Gratiarum Actio generalis.

OMNIPOTENS Deus, Pater omnium misericordiarum, nos indigni famuli tui humillime et ex animo tibi gratias agimus pro omni bonitate tua et benignitate erga nos et omnes homines : [**eos præcipue qui jam volunt tibi confiteri et gratias agere pro misericordia tua nuper in se collata.*]

* Hoc dicendum est si aliqui pro quibus oratio facta sit gratias reddere velint.

Benedicimus tibi pro creatione et conservatione nostra et omnibus hujusce vitæ bonis ; sed maxime pro amore tuo inæstimabili, quo mundum per Dominum nostrum Jesum Christum redemisti ; insuper pro gratiæ instrumentis et spe gloriæ. Quæ omnia beneficia tua da nobis ita, ut justum est, sentire, ut cordibus vere gratis, laudem tuam non loquendo tantum, sed vivendo annuntiemus ; dum servitio tuo penitus devoti, coram te in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ nostræ ambulemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui tecum, in unitate Spiritus Sancti, sit omnis honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Pro Pluvia.

DEUS, Pater noster cœlestis, qui benigna providentia tua imbrem matutinum et serotinum in terram facis descendere, quo fructus servituti hominum proferat : Gratias agimus tibi, quia in extrema nostra necessitate hæreditatem tuam tandem pluvia lætificare, et infirmatam perficere dignatus es, ad magnum famulorum tuorum indignorum solatium, et ad gloriam sancti Nominis tui ; per misericordias tuas in Jesu Christo Domino nostro. *Amen.*

Pro Aeris serenitate.

DOMINE Deus, qui nos nuper plaga immodicorum imbrium juste humiliasti, et pro benignitate tuo cœli opportuna serenitate refecisti ; Nomen tuum sanctum pro hac misericordia tua laudamus et glorificamus, et in generationem et generationem benignitatem tuam annuntiabimus ; per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Copia rerum.

PATER misericors, qui devotas Ecclesiæ supplicationes benignus exaudivisti, et caritatem et inopiam quæ nos opprimebant, in vilitatem et copiam convertisti : Pro hac tua singulari beneficentia gratias agimus, rogantes ut nobis clementiam tuam continues, per quam terra nostra det fructum suum, ad gloriam tuam et sola-

tium nostrum. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Pace, et liberatione ab inimicis.

OMNIPOTENS Deus, qui famulis tuis turris es fortitudinis a facie inimicorum: Laudem et gratias tibi referimus, qui a magnis illis et manifestis, quæ nos circumdabant, periculis nos dignatus es liberare; et tuæ soli bonitati ascribimus, quod non dati sumus eis in captionem; rogantes te ut nobis hanc tuam continues misericordiam; quo omnes homines te sciant nostrum esse Salvatorem et potentem Liberatorem. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Pace publica domi restituta.

ÆTERNE Deus, Pater noster cœlestis, qui solus inhabitare facis unius moris in domo, et populi indomiti violentiam reprimis: Benedicimus Nomini sancto tuo, quod tumultus seditiosos nuper apud nos concitatos dignatus es sedare: te suppliciter rogantes ut gratiam nobis omnibus concedas qua posthac mandatis tuis sanctis obedire valeamus, et quietam et tranquillam vitam agentes in omni pietate et castitate, sacrificium laudis et gratiarum, pro his misericordiis tuis, tibi jugiter offeramus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro liberatione de Peste vel de alio morbo communi.

DOMINE Deus, qui nos terribili pœna nuper visitans, propter peccata vulnerasti, propter prævaricationes consumpsisti; et nunc in medio judicii misericordiæ recordatus, e faucibus mortis animas nostras redemisti: Paternæ pietati tuæ nosmetipsos, animas et corpora nostra, a te liberata, hostiam viventem exhibemus, et in Ecclesia tua misericordiam tuam semper laudamus et extollimus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Sive hæc.

CORAM te, Pater misericors, supplices agnoscimus quod omnes pœnæ in lege tua denuntiatæ in nos, propter multiplicia peccata et duritiam cordis, merito incidere potuissent: Sed tamen quia pro benignitate tua, pœnitentiam nostram imperfectam et indignam respiciens, morbi contagionem, qua nuper laboravimus, amovere, et vocem exultationis et salutis in nostris tabernaculis restituere dignatus es; Divinæ Majestati tuæ sacrificium laudis et gratiarum offerimus, et Nomen tuum gloriosum pro tam benigna providentia laudamus et extollimus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Orationes, Epistolae, et Evangelia per Annum.

¶ Notandum est, quod Oratio unicuique Dominicæ assignata, vel Festo Vigiliam vel Primas (quas vocant) Vesperas habenti, ad Vesperas proxime præcedentes dicenda est.

Dominica Prima Adventus.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut abjectis operibus tenebrarum, induamur arma lucis, in hac mortali vita, in qua Jesus Christus Filius tuus cum magna humilitate ad nos visitandos advenit; ut in extremo die, quo rediturus est cum gloria Majestatis suæ ad judicandos vivos et mortuos, resurgamus ad vitam immortalem. Per eundem, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

¶ Hæc Oratio quotidie dicenda est, cum cæteris Orationibus in Adventu, usque ad Primas Vesperas Nativitatis Domini.

Epistola.

Ad Rom. xiii. 8.

NEMINI quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam: Non adulterabis; Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in commessationibus, et ebrietatibus: non in cubilibus, et impudicitiis: non in contentione, et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

Evangelium.

S. Matt. xxi. 1.

ET cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum

quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi: et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit: et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Dominica Secunda Adventus.

Oratio.

BENEDICTE Domine, qui effecisti ut tota Sacra Scriptura ad nostram doctrinam scriberetur: Da nobis ita eam audire, legere, meditari, discere, et intus animo suscipere, ut per patientiam et consolationem Verbi sancti tui amplectamur et usque retineamus spem illam beatam æternæ vitæ, quam dedisti nobis in Salvatore nostro Jesu Christo. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. xv. 4.

QUÆCUMQUE scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum: ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et Nomini

tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus. Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum: et magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait: Erit Radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo: ut abundetis in spe, et virtute Spiritus Sancti.

Evangelium.

S. Lucæ xxi. 25.

ET erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris, pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi; nam virtutes cœlorum movebuntur: et tunc videbunt Filium Hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores: cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

Dominica Tertia Adventus.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui in primo Adventu tuo nuntium tuum misisti ad præparandam ante te viam tuam: Da ministris et dispensatoribus mysteriorum tuorum simili modo ita viam tuam præparare, convertendo corda incredulorum ad prudentiam justorum, ut cum Judex mundi iterum adveneris, nos populus tibi acceptus inveniamur. Qui vivis et regnas cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

1 ad Cor. iv. 1.

SIC nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita

tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.

Evangelium.

S. Matt. xi. 2.

JOANNES autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es? an alium exspectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Dominica Quarta Adventus.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre; ut, per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata in proposito certamine præpediunt, indulgentia tuæ miserationis acceleret. Per satisfactionem Filii tui Domini nostri, cui tecum, in unitate Spiritus Sancti, sit honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Phil. iv. 4.

GAUDETE in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu.

Evangelium.

S. Joan. i. 19.

ET hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, et non negavit: et confessus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum

demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

In Die Nativitatis Domini.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui unigenitum Filium tuum nobis dedisti, ut nostram naturam assumeret, et hoc tempore de pura Virgine nasceretur; Præsta, quæsumus, ut nos regenerati, filiique tui per adoptionem et gratiam facti, Spiritu Sancto tuo quotidie renovemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Heb. i. 1.

MULTIFARIAM, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula; qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis. Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

In Die Sancti Stephani.

Evangelium.

S. Joan. i. 1.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

In Die Sancti Stephani

Oratio.

DA nobis, Domine, quæsumus, ut inter omnia quæ in terra propter testimonium veritatis tuæ patimur, in cœlum intendentes, gloriam quæ in futuro revelanda est per fidem intueamur; et, Spiritu Sancto repleti, persecutores nostros diligere et benedicere discamus, exemplo Sancti Stephani Protomartyris tui, qui pro interfectoribus suis te, Jesu benedicte, exoravit, qui stas a dextris Dei omnes propter te patientes adjuturus, unicus Mediator noster et Advocatus. *Amen.*

Deinde sequatur Oratio de *Nativitate, quæ* quotidie dicenda est usque ad Primas Vesperas Circumcisionis.

Lectio pro Epistola.

Actu. vii. 55.

CUM autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, et Filium Hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapi-

dabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Evangelium.

S. Matt. xxiii. 34.

ECCE ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in Nomine Domini.

In Die Sancti Joannis Evangelistae.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus, misericors Domine, benignus illustra, ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ita in veritatis tuæ lumine ambulet, ut ad vitæ sempiternæ lucem tandem perveniat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Joan. i. 1.

QUOD fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. Si

dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

Evangelium.

S. Joan. xxi. 19.

DIXIT Jesus Petro, Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus. Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

In Die Innocentium.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, et parvulos non loquendo sed moriendo te glorificare voluisti: Omnium in nobis vitiorum mala mortifica, et gratia tua ita nos corrobora, ut innocentia vitæ, et fidei usque ad mortem constantia, sanctum Nomen tuum glorificemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Apoc. xiv. 1.

VIDI: et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni: et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno: et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Evangelium.

S. Matt. ii. 13.

ANGELUS Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui unigenitum Filium tuum nobis dedisti, ut nostram naturam assumeret, et hoc tempore de pura Virgine nasceretur: Præsta, quæsumus, ut nos regenerati, filiique tui per adoptionem et gratiam facti, Spiritu Sancto tuo quotidie renovemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Gal. iv. 1.

DICO autem: Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre: ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: et heres per Deum.

Evangelium.

S. Matt. i. 18.

CHRISTI autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc

autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen ejus JESUM.

Circumcisio Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui benedictum Filium tuum propter hominem circumcidi, et legi obtemperare voluisti: Da nobis veram quæ ex Spiritu est Circumcisionem, ut mundanis et carnalibus concupiscentiis tam in corde quam in corpore mortificatis, beatæ voluntati tuæ per omnia obediamus. Per eundem Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. iv. 8.

BEATUS vir cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam: et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi: sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege, heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio.

Evangelium.

S. Lucæ ii. 15.

ET factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab angelo prius quam in utero conciperetur.

Hæc eadem Oratio, cum Epistola et Evangelio, dicatur quotidie usque ad Epiphaniam.

Epiphania,

SIVE CHRISTI CORAM GENTIBUS MANIFESTATIO.

Oratio.

DEUS, qui unigenitum Filium tuum Gentibus stella duce revelasti: Concede propitius, ut qui te jam ex fide cognovimus, tua gloriosa Deitate post hanc vitam perfruamur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. iii. 1.

HUJUS rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in Spiritu, gentes esse coheredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium: cujus factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit; ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro: in quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.

Evangelium.

S. Matt. ii. 1.

CUM ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in die-

bus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël. Tunc Herodes clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero: et cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt: et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Dominica Prima post Epiphaniam.

Oratio.

VOTA, quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pietate prosequere; ut et ea quæ agenda sunt videant, et ad implenda quæ viderint, tua gratia ac virtute convalescant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. xii. 1.

OBSECRO itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum

habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

Evangelium.

S. Lucæ ii. 41.

ET ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.

Dominica Secunda post Epiphaniam.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrestria moderaris: Supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. xii. 6.

HABENTES autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes; sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono: charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes: sollicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes: spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes:

necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum invicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Evangelium.

S. Joan. ii. 1.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

Dominica Tertia post Epiphaniam.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque in omnibus periculis et necessitatibus nostris ad protegendum nos dexteram tuæ Majestatis extende. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. xii. 16.

NOLITE esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindicta; Ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Evangelium.

S. Matt. viii. 1.

CUM autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Dominica Quarta post Epiphaniam.

Oratio.

DEUS, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere; Da nobis eam virtutem ac tutelam quæ nos inter omnia pericula sustentet, et per omnes tentationes illæsos perducat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. xiii. 1.

OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram,

sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Evangelium.

S. Matt. viii. 23.

ET ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt: et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis qui dæmonia habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu; et viso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.

Dominica Quinta post Epiphaniam.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi; ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Coloss. iii. 12.

INDUITE vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. Verbum Christi habitet

in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

Evangelium.

S. Matt. xiii. 24.

SIMILE factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo; cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

Dominica Sexta post Epiphaniam.

Oratio.

DEUS, cujus benedictus Filius in hoc apparuit, ut dissolvat opera diaboli, et nos filios Dei vitæque æternæ hæredes efficiat; Da, quæsumus, ut hanc spem habentes, nosmetipsos sicut et ille sanctus est sanctificemus; quatenus, cum in potestate magna et majestate iterum apparuerit, similes ei efficiamur in æterno gloriæ ejus regno; ubi tecum, Pater, et tecum Spiritus Sancte, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Joan. iii. 1.

VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit

ut peccata nostra tolleret: et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est: sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

Evangelium.

S. Matt. xxiv. 23.

TUNC si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est: nolite exire: ecce in penetralibus: nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii Hominis. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur; et tunc parebit signum Filii Hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.

Dominica in Septuagesima,

SIVE DOMINICA TERTIA ANTE QUADRAGESIMAM.

Oratio.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi; ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui Nominis gloria misericorditer liberemur. Per Jesum Christum Salvatorem nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. ix. 24.

NESCITIS quod ii qui in *stadio* currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Evangelium.

S. Matt. xx. 1.

SIMILE est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi; multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Dominica in Sexagesima,

SIVE DOMINICA SECUNDA ANTE QUADRAGESIMAM.

Oratio.

DEUS, qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus: Concede propitius ut contra adversa omnia tua potestate muniamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

2 Ad Cor. xi. 19.

LIBENTER suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego: Hebræi sunt, et ego: Israelitæ sunt, et ego: semen Abrahæ sunt, et ego: ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico,) plus ego: in laboribus pluri-

mis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.

Evangelium.

S. Lucæ viii. 4.

CUM autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum: et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent; qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

Dominica in Quinquagesima,

SIVE DOMINICA PROXIMA ANTE QUADRAGESIMAM.

Oratio.

DOMINE, qui nos docuisti, quod omnia opera nostra e charitate nihil sunt: Mitte iritum Sanctum tuum, et unde in corda nostra chaitem illam, eximium tuum ium, verum vinculum pacis omnium virtutum, sine qua nis vivens coram te est mors: Hoc largire propter cum Filium tuum Jesum ristum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. xiii. 1.

'I linguis hominum loquar,) et angelorum, charitatem em non habeam, factus sum ut æs sonans, aut cymbalum niens. Et si habuero proetiam, et noverim mysteria nia, et omnem scientiam: et habuero omnem fidem ita montes transferam, charita1 autem non habuero, nihil n. Et si distribuero in cibos iperum omnes facultates as, et si tradidero corpus um ita ut ardeam, chariem autem non habuero, nihil hi prodest. Charitas patiens , benigna est: charitas non iulatur, non agit perperam, n inflatur, non est ambitiosa, n quærit quæ sua sunt, non tatur, non cogitat malum, n gaudet super iniquitate, igaudet autem veritati: om. suffert, omnia credit, omnia rat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.

Evangelium.

S. Lucæ xviii. 31.

ASSUMPSIT autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio Hominis; tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur, Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus qui-

dam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit, dicens: Jesu Fili David, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua se salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

PRIMUS DIES QUADRAGESIMÆ, VULGO VOCATUS

Feria IV. Cinerum.

Oratio.

OMNIPOTENS æterne Deus, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, et omnibus pœnitentibus peccata dimittis: Crea in nobis cor novum et contritum, ut digne peccata nostra deflentes, et iniquitates nostras cognoscentes, a te Deo omnis misericordiæ perfectam peccatorum remissionem consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Hæc Oratio quotidie per Quadragesimam legatur post Orationem de die.

Lectio pro Epistola.

Joel. ii. 12.

CONVERTIMINI, dicit Dominus, ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro? Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes; quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum?

Evangelium.

S. Matt. vi. 16.

CUM jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu

:um jejunas, unge caput t faciem tuam lava, ne hominibus jejunans, sed o, qui est in abscondi- ?ater tuus, qui videt in .ito, reddet tibi. Nolite zare vobis thesauros in bi ærugo, et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Dominica Prima Quadragesimae.

Oratio.

.IINE, qui propter nos quadraginta diebus et ;inta noctibus jejunasti; is hujusmodi uti absti- ut carne nostra Spiritui ι, sanctis inspirationibus ustitia et vera sanctitate obsequamur, ad hono- ;loriam tuam. Qui vivis ɪs cum Patre in unitate ; Sancti Deus, per omnia sæculorum. *Amen.*

Epistola.

2 Ad Cor. vi. 1.

'UVANTES autem ex- ıortamur, ne in vacuum . Dei recipiatis. Ait Tempore accepto ex- :e, et in die salutis ad- Ecce nunc tempus ac- le, ecce nunc dies salutis: dantes ullam offension- non vituperetur mini- . nostrum: sed in omni- :hibeamus nosmetipsos)ei ministros, in multa ia, in tribulationibus, in tatibus, in angustiis, in in carceribus, in sedition- ι laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris; per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam: ut seductores, et veraces; sicut qui ignoti, et cogniti: quasi morientes, et ecce vivimus: ut castigati, et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.

Evangelium.

S. Matt. iv. 1.

TUNC Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc as-

sumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Dominica Secunda Quadragesimae.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui conspicis nos omni virtute destitui; Interius exteriusque custodi: ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Epistola.

1 Ad Thes. iv. 1.

DE cetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum; et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus; non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.

Evangelium.

S. Matt. xv. 21.

ET egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine Fili David: filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non

sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit: Etiam, Domine: nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

Dominica Tertia Quadragesimæ.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram adversus omnes inimicos nostros dexteram tuæ Majestatis extende. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. v. 1.

ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi: et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo: et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

Evangelium.

S. Lucæ xi. 14.

JESUS erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis:

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Dominica Quarta Quadragesimae.

Oratio.

CONCEDE quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Galat. iv. 21.

DICITE mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans; quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, et clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiri-

tum: ita et nunc. Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.

Evangelium.

S. Joan. vi. 1.

ABIIT Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus: et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

Dominica Quinta Quadragesimae.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice: ut, te largiente, regatur in corpore, et, te servante, custodiatur in mente. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Heb. ix. 11.

CHRISTUS autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanc-

tum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti Mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

Evangelium.

S. Joan. viii. 46.

DIXIT Jesus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, et judicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ: et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum. Ego autem novi eum: et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Dominica Proxima ante Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Filium tuum Salvatorem nostrum Jesum Christum carnem assumere, et crucem subire fecisti; Concede propitius, ut et patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Philip. ii. 5.

HOC enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi Nomen, quod est super omne nomen: ut in Nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Evangelium.

S. Matt. xxvii. 1.

MANE autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israël: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent; habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor

ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servabant eum. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, et unus a sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei sum. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta

autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum; et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.

Feria Secunda ante Pascha.

Lectio pro Epistola.

Isaiæ lxiii. 1.

QUIS est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: Verumtamen populus meus est, filii non negantes: et factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione

sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum sancti ejus : et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. Et recordatus est dierum sæculi Moysi, et populi sui : Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui ? ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui ? qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi Nomen sempiternum : qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campo descendens, Spiritus Domini ductor ejus fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi Nomen gloriæ. Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ : ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ? super me continuerunt se. Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos : Tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a sæculo Nomen tuum. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te ? convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur Nomen tuum super nos.

Evangelium.

S. Marci xiv. 1.

ERAT autem Pascha et azyma post biduum : et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ? Poterat enim unguentum istud vænundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis ? Bonum opus operata est in me : semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis. Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus. Et Judas Iscariotes unus de duo-

decim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. Qui audientes gavisi sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet. Et primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum: et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: et illic parate nobis. Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem: et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego? Qui ait illis: Unus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem Hominis vadit sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius Hominis tradetur; bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum: et cœpit pavere et tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate. Et cum processisset paululum, procidit super terram: et orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo hora: et dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo,

sed quod tu. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. Et iterum abiens oravit, eundem sermonem dicens. Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite. Sufficit: venit hora: ecce Filius Hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce qui me tradet, prope est. Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis a summis sacerdotibus, et scribis, et senioribus. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: et osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores. Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis: et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. Summi vero sacerdotes, et omne concilium, quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei Benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium Hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.

Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei, Prophetiza: et ministri alapis eum cædebant. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis: et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam et Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare et jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

Feria Tertia ante Pascha.

Lectio pro Epistola.

Isaiæ l. 5.

DOMINUS Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

Evangelium.

S. Marci xv. 1.

ET confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, et scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum?

At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset, turba cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, et dixit: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt illi: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: REX JUDÆORUM. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris ejus. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei et in tribus diebus reædificas: salvum fac temetipsum, descendens de cruce. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus Rex Israël descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per

tam terram usque in horam
onam. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna dicens:
loi, Eloi, lamma sabacthani?
iod est interpretatum: Deus
eus, Deus meus, ut quid dereıuisti me? Ei quidam de
rcumstantibus audientes, di-
bant: Ecce Eliam vocat. Currns autem unus, et implens
ongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem emissa voce magna exspiravit. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.

Feria Quarta ante Pascha.

Epistola.

Ad Heb. ix. 16.

UBI enim testamentum est, mors necesse est interdat testatoris. Testamentum ıim in mortuis confirmatum t: alioquin nondum valet, ım vivit qui testatus est. nde nec primum quidem sine nguine dedicatum est. Lecto ıim omni mandato legis a loyse universo populo, accins sanguinem vitulorum et rcorum, cum aqua, et lana ccinea, et hyssopo; ipsum ıoque librum, et omnem poılum aspersit dicens: Hic nguis testamenti quod manıvit ad vos Deus. Etiam bernaculum et omnia vasa inisterii sanguine similiter persit. Et omnia pene in nguine secundum legem munıntur; et sine sanguinis effuone non fit remissio. Nesse est ergo exemplaria quiım cœlestium his mundari: sa autem cœlestia melioribus ostiis quam istis. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autum judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

Evangelium.

S. Lucæ xxii. 1.

APPROPINQUABAT autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha: et quærebant principes sacerdotum, et scribæ, quomodo Je-

sum interficerent: timebant vero plebem. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim; et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo; et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos: dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis,

donec regnum Dei veniat. E accepto pane gratias egit, e fregit, et dedit eis, dicens Hoc est corpus meum, quo pro vobis datur: hoc facite i meam commemorationem. Si militer et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est cali novum testamentum in san guine meo, qui pro vobis fun detur. Verumtamen ecce ma nus tradentis me, mecum es in mensa. Et quidem Filiu Hominis, secundum quod de finitum est, vadit: verumtame væ homini illi per quem trade tur. Et ipsi cœperunt quærer inter se, quis esset ex eis qu hoc facturus esset. Facta es autem et contentio inter eos quis eorum videretur esse ma jor. Dixit autem eis: Rege gentium dominantur eorum et qui potestatem habent supe eos, benefici vocantur. Vo autem non sic: sed qui majo est in vobis, fiat sicut mino et qui præcessor est, sicut m nistrator. Nam quis major e qui recumbit, an qui ministra nonne qui recumbit? Ego a tem in medio vestrum su sicut qui ministrat. Vos aut estis, qui permansistis me in tentationibus meis. Et dispono vobis, sicut disp mihi Pater meus regnur edatis et bibatis super me meam in regno meo: deatis super thronos judic duodecim tribus Israël. autem Dominus: Simo mon, ecce Satanas ex vos, ut cribraret sicut

eum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat; similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me? verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos, suos, invenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium Hominis tradis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Jesus ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi, et seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. Et post pusillum alius

videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non sum. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere et hic cum illo erat: nam et Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus: et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius Hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

Feria Quinta ante Pascha.

Epistola.

1 Ad Cor. xi. 17.

HOC autem præcipio: non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis

panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

Evangelium.

S. Luc. xxiii. 1.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, et turbas; Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo; et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, et scribæ, constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum: et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum; et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. Exclamavit autem simul universa turba,

dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam, qui erat, propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum: quæ plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus, dixit; Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, et dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris græcis, et latinis, et hebraïcis: HIC EST REX JUDÆORUM. Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: Hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. Et

clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, exspiravit. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.

Feria Sexta in Parasceve.

Orationes.

RESPICE, quæsumus, omnipotens Deus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur; Exaudi nos pro universis ordinibus in Ecclesia tua sancta constitutis supplicantes: ut ab omnibus tibi gradibus in vocatione et ministerio suo pie et fideliter serviatur. Per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum. *Amen.*

MISERICORS Deus, Conditor omnium hominum, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, neque vis mortem peccatoris, sed potius ut convertatur et vivat: Miserere omnium Judæorum, Turcarum, Infidelium, et Hæreticorum; aufer ab eis ignorantiam et duritiem cordis, et contemptum verbi tui; et reduc eos, benedicte Domine, ad gregem tuum, ut salvi fiant inter reliquias veri Israelis, et unum fiant ovile sub uno Pastore Jesu Christo Domino nostro, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Heb. x. 1.

UMBRAM enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos, eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non

tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas: et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum: non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.

Evangelium.

S. Joan. xix. 1.

TUNC ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum: et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullum invenio in eo causam. (Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se

fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraïce autem Gabbatha. Erat autem parasceve paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraïce autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum: JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus; et erat scriptum hebraïce, græce, et latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam

acceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis. Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

In Vigilia Paschae.

Oratio.

DA nobis, Domine, ut sicut in mortem beatissimi Filii tui Jesu Christi Salvatoris nostri baptizati sumus, ita, concupiscentiam semper mortificando, cum illo consepeliamur; et per sepulchrum et mortis portam in resurrectionis gaudium transeamus. Propter ejusdem merita, qui pro nobis et mortuus et sepultus est et resurrexit, Filii tui Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Epistola.

1 S. Petri iii. 17.

MELIUS est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes; quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

Evangelium.

S. Matt. xxvii. 57.

CUM autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Altera autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

In Die Sancto Paschae.

Ad Matutinas, loco Psalmi Venite, exultemus, &c. dicantur aut cantetur Antiphonæ sequentes.

PASCHA nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur; Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ: sed in azymis sinceritatis et veritatis. 1 Cor. v. 7.

CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato: viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Rom. vi. 9.

CHRISTUS resurrexit a mortuis: primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors: et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita et in Christo omnes vivificabuntur. 1 Cor. xv. 20.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per unigenitum tuum Filium Jesum Christum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti; Vota nostra quæsumus, quæ præveniendo aspiras, etiam jugiter adjuvando prosequere. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Coloss. iii. 1.

IGITUR, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est

in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.

Evangelium.

S. Joan. xx. 1.

UNA autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum: et vidit, et credidit: nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

Feria Secunda post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per unigenitum tuum Filium Jesum Christum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti; Vota nostra quæsumus, quæ præveniendo aspiras, etiam jugiter adjuvando prosequere. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. x. 34.

APERIENS autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus): Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens

enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt, suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

Evangelium.

S. Lucæ xxiv. 13.

ET ecce duo ex discipulis suis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo: Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum; nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant: et ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est ja

dies. Et intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Feria Tertia post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per unigenitum tuum Filium Jesum Christum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti: Vota nostra quæsumus, quæ præveniendo aspiras, etiam jugiter adjuvando prosequere. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. xiii. 26.

VIRI fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset, voluntati Dei dormivit: et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a

mortuis non vidit corruptionem. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur: et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

Evangelium.

S. Lucæ xxiv. 36.

STETIT Jesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate, et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, [sumens reliquias dedit eis]. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die: et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem testes estis horum.

Dominica Prima post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Pater, qui dedisti Filium tuum unicum, ut propter delicta nostra moreretur, et propter justificationem nostram resurgeret: Præsta ut, abjecto fermento malitiæ et nequitiæ, in puritate fidei et vitæ tibi perpetuo serviamus. Per merita ejusdem Filii tui Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Epistola.

1 S. Joan. v. 4.

OMNE quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum,

sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, [quod majus est,] quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

Evangelium.

S. Joan. xx. 19.

CUM ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum; venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.

Dominica Secunda post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui dedisti nobis Filium tuum unicum, ut esset nobis et sacrificium pro peccato, et exemplar pietatis; Da nobis ut gratis mentibus hoc inæstimabile beneficium ejus semper agnoscamus, et beata vestigia vitæ ipsius sanctissimæ quotidie sequi studeamus. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Pet. ii. 19.

HÆC est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus: qui

peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum.

Evangelium.

S. Joan. x. 11.

DIXIT Jesus, Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Dominica Tertia post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: Da cunctis qui Christiana professione censentur, et illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Pet. ii. 11.

CHARISSIMI, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam: ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes

honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorificate.

Evangelium.

S. Joan. xvi. 16.

DIXIT Jesus discipulis suis: Modicum, et jam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur. Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Dominica Quarta post Pascha.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, cujus solius est indomitas peccatorum voluntates gubernare: Da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis; ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

S. Jacob. i. 17.

OMNE datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est; descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Evangelium.

S. Joan. xvi. 5.

)IXIT Jesus discipulis suis: Nunc vado ad eum, qui it me: et nemo ex vobis :rrogat me, Quo vadis? quia hæc locutus sum is, tristitia implevit cor :rum. Sed ego veritatem) vobis: expedit vobis ut vadam: si enim non :ro, Paracletus non veniet vos: si autem abiero, mit- eum ad vos. Et cum erit ille, arguet mundum peccato, et de justitia, et judicio: de peccato quidem, a non crediderunt in me: de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me: de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

Oratio.

)EUS, a quo bona cuncta procedunt; Largire sup- :ibus tuis, ut cogitemus, te pirante, quæ recta sunt, et, ubernante, eadem faciamus. Jesum Christum Dominum trum. *Amen.*

Epistola.

S. Jacob. i. 22.

STOTE factores verbi, et non auditores tantum, entes vosmetipsos. Quia si s auditor est verbi, et non tor, hic comparabitur viro isideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Evangelium.

S. Joan. xvi. 23.

AMEN, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi. Respondit eis Jesus: Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis: et non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

In Die Ascensionis.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque corde et mente illuc ascendamus, et cum illo perpetuo habitemus, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. i. 1.

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, di-

centes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Evangelium.

S. Marc. xvi. 14.

JESUS recumbentibus illis undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dexteris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Dominica infra Octavam Ascensionis.

Oratio.

DEUS, Rex gloriæ, qui unicum Filium tuum Jesum Christum triumphatorem in cœleste tuum regnum exaltasti; Ne derelinquas nos orphanos; sed mitte nobis Spiritum Sanctum tuum, qui nos consoletur, et eo evehat quo Dominus et Salvator noster Jesus Christus præcessit, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Pet. iv. 7.

OMNIUM finis appropinquavit. Estote ita-

que prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmuratione. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Evangelium.

S. Joan. xv. 26, et xvi. 1.

CUM venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.

In Die Pentecostes.

Oratio.

DEUS, qui hoc tempore corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; Da nobis in eodem Spiritu de omnibus recta sapere, et de ejus semper sancta consolatione gaudere. Per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. ii. 1.

CUM complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stu-

pebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani, Judæi quoque, et proselyti, Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Evangelium.

S. Joan. xiv. 15.

DIXIT Jesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Feria Secunda post Pentecosten.

Oratio.

DEUS, qui hoc tempore corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; Da nobis in eodem Spiritu de omnibus recta sapere, et de ejus semper sancta consolatione gaudere. Per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. x. 34.

APERIENS autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed, in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus): vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem; quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro: quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

Evangelium.

S. Joan. iii. 16.

SIC Deus dilexit mundum ut Filium suum uni-

genitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

Feria Tertia post Pentecosten.

Oratio.

DEUS, qui hoc tempore corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; Da nobis in eodem Spiritu de omnibus recta sapere, et de ejus semper sancta consolatione gaudere. Per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. viii. 14.

CUM audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.

Evangelium.

S. Joan. x. 1.

AMEN, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus: illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingre-

dietur, et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Dominica Trinitatis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui gratia tua dedisti nobis famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Divinæ Majestatis adorare Unitatem; Quæsumus, ut nos in eadem fide confirmes, et ab omnibus semper munias adversis, qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Apoc. iv. 1.

POST hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo; et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in Spiritu: et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis: et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo: et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: et in circuitu et intus plena sunt oculis: et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere, gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

Dominica Prima post Trinitatem.

Evangelium.

S. Joan. iii. 1.

ERAT homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israël, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius Hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium Hominis: ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Dominica Prima post Trinitatem.

Oratio.

DEUS, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris; et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exsequendis mandatis tuis, et voluntate tibi et actione placeamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Joan. iv. 7.

CHARISSIMI, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus

per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

Evangelium.

S. Lucæ xvi. 19.

HOMO quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat: sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus: et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris: et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te,

pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, et prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Dominica Secunda post Trinitatem.

Oratio.

CUSTODI nos, Domine, quæsumus, sub tutamine providentiæ tuæ, et sancti nominis tui timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Joan. iii. 13.

NOLITE mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus. Et hoc est mandatum ejus: ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.

Evangelium.

S. Lucæ xiv. 16.

HOMO quidam fecit cœnam magnam, et vocavit mul-

tos: et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis: et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos, introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Dominica Tertia post Trinitatem.

Oratio.

DEPRECATIONEM nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi; et quibus supplicandi præstas affectum, tribue inter omnia pericula et adversa defensionis et consolationis tuæ auxilium. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1. S. Pet. v. 5.

OMNES invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Evangelium.

S. Lucæ xv. 1.

ERANT autem appropinquantes ei publicani, et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi, et scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo,

qui habet centum oves: et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Dominica Quarta post Trinitatem.

Oratio.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum; Multiplica super nos misericordiam tuam; ut te rectore, te duce, sic transeamus per temporalia, ut non amittamus æterna. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. viii. 18.

EXISTIMO quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.

Evangelium.

S. Lucæ vi. 36.

ESTOTE ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum

vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo: et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

Dominica Quinta post Trinitatem.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 S. Pet. iii. 8.

OMNES unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatur eam: quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.

Evangelium.

S. Lucæ v. 1.

FACTUM est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem

, dixit ad Simonem : Duc
um, et laxate retia vestra
pturam. Et respondens
n, dixit illi : Præceptor,
otam noctem laborantes,
cepimus : in verbo autem
axabo rete. Et cum hoc
ent, concluserunt piscium
tudinem copiosam, rum-
tur autem rete eorum. Et
erunt sociis, qui erant in
avi, ut venirent, et adju-
t eos. Et venerunt, et
verunt ambas naviculas,
pene mergerentur. Quod
cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant : similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Dominica Sexta post Trinitatem.

Oratio.

EUS, qui diligentibus te
bona quæ exsuperant
anum sensum præparasti;
ide cordibus nostris tui
is affectum, ut te super
a diligentes, promissiones
quæ omne desiderium
rant, consequamur. Per
n Christum Dominum
um. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. vi. 3.

N ignoratis quia quicumque
baptizati sumus in Christo
, in morte ipsius baptizati
is? Consepulti enim sumus
illo per baptismum in mor-
: ut quomodo Christus sur-
a mortuis per gloriam Pa-
ita et nos in novitate vitæ
ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.

Evangelium.

S. Matt. v. 20.

DIXIT Jesus discipulis suis: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus altare, et ibi recorc quia frater tuus ha adversum te: relinq nus tuum ante alta prius reconciliari et tunc veniens off tuum. Esto consent sario tuo cito, dum cum eo: ne forte adversarius judici, tradat te ministro: cerem mittaris. tibi, non exies i reddas novissimum tem.

Oratio.

DEUS virtutum, cujus est totum quod est optimum: Insere pectoribus nostris amorem tui nominis, præsta in nobis veræ religionis augmentum, et nos omni bonitate nutritos pietatis studio in eadem custodi. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. vi. 19.

HUMANUM dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. servi essetis pecc fuistis justitiæ. fructum habuistis tu in quibus nunc Nam finis illorum Nunc vero liberati servi autem facti D fructum vestrum in tionem, finem vero nam. Stipendia en mors. Gratia autei æterna, in Christo mino nostro.

Evangelium

S. Marc. vii

IN diebus illis i turba multa ess berent quod mandu

:atis discipulis, ait illis Je-
: Misereor super turbam :
ia ecce jam triduo sustinent
, nec habent quod mandu-
it : et si dimisero eos jejunos
domum suam, deficient in
.: quidam enim ex eis de
ge venerunt. Et responde-
it ei discipuli sui : Unde illos
is poterit hic saturare pani-
s in solitudine? Et interro-
vit eos : Quot panes habetis?
ii dixerunt : Septem. Et
ecepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent : et apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos : et ipsos benedixit, et jussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia : et dimisit eos.

Dominica Octava post Trinitatem.

Oratio.

DEUS, cujus providentia in cœlestium et terrestrium
positione non fallitur; Te
pplices exoramus, ut noxia
ncta submoveas, et omnia
bis profutura concedas. Per
sum Christum Dominum
strum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. viii. 12.

FRATRES, debitores sumus non carni, ut
cundum carnem vivamus. Si
im secundum carnem vixeri-
, moriemini : si autem Spiritu
:ta carnis mortificaveritis,
vetis. Quicumque enim
piritu Dei aguntur, ii sunt
ii Dei. Non enim accepistis
iritum servitutis iterum in
nore, sed accepistis spiritum
loptionis filiorum, in quo
amamus : Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Evangelium.

S. Matt. vii. 15.

ATTENDITE a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex

fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Dominica Nona post Trinitatem.

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius, et agendi; ut qui sine te nihil boni agere possumus, secundum te vivere te adjuvante valeamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. x. 1.

NOLO vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari: et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus): sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt; neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

Evangelium.

S. Lucæ xvi. 1.

DICEBAT Jesus ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris vil-

licare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: et sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dominica Decima post Trinitatem.

Oratio.

PATEANT aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium; et ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi placita sunt postulare. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. xii. 1.

DE spiritualibus nolo vos ignorare, fratres. Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Evangelium.

S. Lucæ xix. 41.

ET ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die

tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

Dominica Undecima post Trinitatem.

Oratio.

DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas: Multiplica super nos gratiam tuam, ut viam mandatorum tuorum currentes, promissa tua consequi et cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. xv. 1.

NOTUM vobis facio, fratres, evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum scripturas: et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus: novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Sive enim ego, sive illi; sic prædicamus, et sic credidistis.

Evangelium.

S. Lucæ xviii. 9.

DIXIT Jesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus, et alter publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se

orabat: Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.

Dominica Duodecima post Trinitatem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui promptior es semper in audiendo quam nos in orando, et abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota; Effunde super nos misericordiam tuam; ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit nisi per merita Mediatoris nostri Jesu Christi Filii tui Domini nostri. *Amen.*

Epistola.

2 Ad Cor. iii. 4.

FIDUCIAM talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria.

Evangelium.

S. Marci vii. 31.

JESUS exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turbâ seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: et exspuens, tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant: et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui.

Dominica Decima Tertia post Trinitatem.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: Tribue nobis, quæsumus, ita tibi in hac vita fideliter servire, ut ad cœlestes promissiones tuas sine offensione perveniamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Gal. iii. 16.

ABRAHÆ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo: quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio et fide Jesu Christi daretur credentibus.

Evangelium.

S. Lucæ x. 23.

BEATI oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, et vives. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via: et viso

illo præterivit. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: et videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum: et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum et curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe: et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. At ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter.

Dominica Decima Quarta post Trinitatem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, et charitatis augmentum; et, ut assequamur quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Gal. v. 16.

DICO autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis et concupiscentiis.

Evangelium.

S. Lucæ xvii. 11.

ET factum est, dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe: et levaverunt vocem, dicentes: Jesu Præceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mun-

datus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit.

Dominica Decima Quinta post Trinitatem.

Oratio.

CUSTODI, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua; et quia sine te labitur humana mortalítas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis, et ad salutaria dirigatur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Gal. vi. 11.

VIDETE qualibus litteris scripsi vobis mea manu. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israël Dei. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. *Amen.*

Evangelium.

S. Matt. vi. 24.

NEMO potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni

gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua.

Dominica Decima Sexta post Trinitatem.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus, Domine, miseratio continuata mundet et muniat; et, quia sine te non potest salva consistere, tuæ semper bonitatis auxilio gubernetur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. iii. 13.

PETO ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

Evangelium.

S. Lucæ vii. 11.

ET factum est: deinceps ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim: et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: et hæc vidua erat: et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem qui portabant steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et

dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.

Dominica Decima Septima post Trinitatem.

Oratio.

TUA nos, Domine, quæsumus, gratia semper et præveniat et sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. iv. 1.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

Evangelium.

S. Lucæ xiv. 1.

FACTUM est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.

Dominica Decima Octava post Trinitatem.

Oratio.

DA quæsumus, Domine, populo tuo mundana, carnalia, et diabolica vitare contagia, et te solum verum Deum puro corde et mente sectari. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

1 Ad Cor. i. 4.

GRATIAS ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia: sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi.

Evangelium.

S. Matt. xxii. 34.

PHARISÆI audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum: et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Dominica Decima Nona post Trinitatem.

Oratio.

DIRIGAT corda nostra, quæsumus, Domine, Sancti tui Spiritus operatio; quia tibi sine te placere non possumus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. iv. 17.

HOC igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu: deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Evangelium.

S. Matt. ix. 1.

JESUS ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Dominica Vicesima post Trinitatem.

Oratio.

IIPOTENS et miseri-
ırs Deus, universa nobis
.tia propitiatus ex-
ut, mente et corpore
expediti, quæ tua sunt
nentibus exsequamur.
m Christum Dominum
Amen.

Epistola.

ιd Ephes. v. 15.

ETE itaque fratres,
omodo caute ambuletis:
ısi insipientes, sed ut
s: redimentes tempus,
ı dies mali sunt. Prop-
ılite fieri imprudentes,
elligentes quæ sit vo-
)ei. Et nolite inebriari
quo est luxuria: sed
ni Spiritu Sancto, lo-
vobismetipsis in psal-
hymnis, et canticis spi-
ıs, cantantes et psal-
a cordibus vestris Do-
gratias agentes semper
.nibus, in nomine Do-
ostri Jesu Christi, Deo
.. Subjecti invicem in
Christi.

Evangelium.

S. Matt. xxii. 1.

XIT Jesus: Simile factum
est regnum cœlorum
regi qui fecit nuptias
filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos: et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Dominica Vicesima Prima post Trinitatem.

Oratio.

LARGIRE, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. vi. 10.

FRATRES, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus (quod est verbum Dei), per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis; et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium evangelii: pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

Evangelium.

S. Joan. iv. 46.

ERAT quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: et credidit ipse, et domus ejus tota. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

Dominica Vicesima Secunda post Trinitatem.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi; ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Philip. i. 3.

GRATIAS ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in evangelio Christi a prima die usque nunc; confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei.

Evangelium.

S. Matt. xviii. 21.

PETRUS dixit ad Jesum: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus vænundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ

facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Dominica Vicesima Tertia post Trinitatem.

Oratio.

DEUS, refugium nostrum et virtus; Adesto piis ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis; et præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Philip. iii. 17.

IMITATORES mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus; quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Evangelium.

S. Matt. xxii. 15.

TUNC abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur; licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Jesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis, hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt.

Dominica Vicesima Quarta post Trinitatem.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum; ut nos omnes a peccatorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Hoc concede, Pater cœlestis, propter merita Jesu Christi, beatissimi Domini et Salvatoris nostri. *Amen.*

Epistola.

Ad. Coloss. i. 3.

GRATIAS agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis: quam audistis in verbo veritatis evangelii: quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali: ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

Evangelium.

S. Matt. ix. 18.

HÆC loquente Jesu ad discipulos Joannis, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit: et tenuit manum ejus. Et surrexit puella. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

Dominica Vicesima Quinta post Trinitatem.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, tuorum fidelium voluntates; ut, divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis tuæ præmia majora percipiant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Jerem. xxiii. 5.

ECCE dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, DOMINUS JUSTUS NOSTER. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti: sed: Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israël de terra aquilonis, et de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc: et habitabunt in terra sua.

Evangelium.

S. Joan. vi. 5.

CUM sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

Si plures sint Dominicæ ante Dominicam Adventus, resumantur officia aliquarum ex eis Dominicis quæ superfuerunt

Epiphaniam, ut quod hic
t suppleatur. Sin pau-
es, omittatur quod super-
dummodo hæc proxima

Oratio, Epistola, et Evangelium, in proxima Dominica ante Adventum semper recitentur.

In Die Sancti Andreae.

Oratio.

MNIPOTENS Deus, qui beato Andreæ Apostolo tantam gratiam dedisti, a Filio tuo Jesu Christo atus eum sine mora sequi dubitarit; Tribue omnibus is, ut per Verbum tuum ctum vocati, ad sancta man- tua implenda nosmetipsos tinuo tradamus. Per eun- Jesum Christum Dominum trum. *Amen.*

Epistola.

Ad Rom. x. 9.

I confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde credideris, quod Deus illum itavit a mortuis, salvus . Corde enim creditur ad itiam: ore autem confessio ad salutem. Dicit enim iptura: Omnis qui credit illum, non confundetur. enim est distinctio Judæi ræci: nam idem Dominus ium, dives in omnes qui in- nt illum. Omnis enim qui- que invocaverit nomen Do- i salvus erit. Quomodo ergo cabunt, in quem non credi- nt? Aut quomodo credent quem non audierunt? Quo- lo autem audient sine præ- nte? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

Evangelium.

S. Matt. iv. 18.

AMBULANS Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores),

et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

In Die Sancti Thomae Apostoli.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ad majorem confirmationem fidei sanctum Thomam Apostolum tuum de resurrectione Filii tui dubitare permisisti: Da nobis ita perfecte et sine ulla dubitatione credere in Filium tuum Jesum Christum, ut fides nostra coram te nunquam reprehendatur. Exaudi nos, Domine, per eundem Jesum Christum, cui tecum, in unitate Spiritus Sancti, sit omnis honor et gloria nunc et per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. ii. 19.

ERGO jam non estis hospites et advenæ: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei: superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

Evangelium.

S. Joan. xx. 24.

THOMAS, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus: et Thomas cum eis. Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

In Conversione Sancti Pauli.

Oratio.

DEUS, qui universum mundum per beati Pauli Apostoli prædicationem Evangelica luce illustrasti; Da nobis, quæsumus, ut propter ejus admirabilem conversionem quam recolimus, doctrinæ ejus sanctæ obediendo, tibi gratias referamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. ix. 1.

SAULUS autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus: et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.) Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem: et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israël. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut

videas, et implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit; et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot. Et continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud: et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

Evangelium.

S. Matt. xix. 27.

RESPONDENS Petrus dixit Jesu: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius Hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

IN PRÆSENTATIONE CHRISTI IN TEMPLO,

QUÆ VULGO VOCATUR

Purificatio Beatae Mariae Virginis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari, ab eodem Jesu Christo Domino nostro. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Malachiæ iii. 1.

ECCE ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi

ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

Evangelium.

S. Lucæ ii. 22.

ET postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israël, et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino; et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israël. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

In Die Sancti Matthiae.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui in locum Judæ traditoris elegisti fidelem servum tuum Matthiam, ut esset unus ex duodecim Apostolis; Da Ecclesiæ tuæ ut, a pseudapostolis semper libera, a pastoribus veris et fidelibus regatur et gubernetur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. i. 15.

IN diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti): Viri fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

Evangelium.

S. Matt. xi. 25.

IN illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me, omnes qui laboratis et

onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

In Annuntiatione Beatae Mariae Virginis.

Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, angelo nuntiante, Jesu Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Isaiæ vii. 10.

ET adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Evangelium.

S. Lucæ i. 26.

IN mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cog-

nata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua ; et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

In Die Sancti Marci.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui beati Marci Evangelistæ tui cœlesti doctrina Ecclesiam tuam sanctam informasti : Da nobis ut jam non simus parvuli, omni vento doctrinæ circumlati, sed in sancti Evangelii tui veritate confirmemur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Ad Ephes. iv. 7.

UNICUIQUE autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Evangelium.

S. Joan. xv. I.

EGO sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos

iites; qui manet in me, et in eo, hic fert fructum :um: quia sine me nihil stis facere. Si quis in me manserit, mittetur foras : palmes: et arescet, et colıt eum, et in ignem mit-, et ardet. Si manseritis ıe, et verba mea in vobis serint, quodcumque volus petetis, et fiet vobis. In clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

In Die Sanctorum Philippi et Jacobi.

Oratio.

MNIPOTENS Deus, quem vere nosse est vita na; Fac nos perfecte cogere Filium tuum Jesum stum esse viam, veritatem, ritam; ut Apostolorum um sanctorum Philippi et bi vestigia sequentes, in quæ ducit ad vitam sempiam constanter ambulemus. eundem Dominum nostrum m Christum. *Amen.*

Epistola.

S. Jacob. i. 1.

COBUS Dei et Domini ıostri Jesu Christi servus, luodecim tribubus quæ sunt spersione, salutem. Omne lium existimate, fratres cum in tentationes varias leritis: scientes quod pro fidei vestræ patientiam atur. Patientia autem opus ectum habet: ut sitis peret integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit: exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Evangelium.

S. Joan. xiv. 1.

DIXIT autem Jesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis; quia vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: et quomodo possumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, et veritas, et vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

In Die Sancti Barnabae Apostoli.

Oratio.

DOMINE Deus omnipotens, qui sanctum Apostolum tuum Barnabam Spiritus Sancti donis singularibus ornasti; Ne derelinquas nos, quæsumus, vel donis tuis multiplicibus destitutos, vel gratia qua eis ad tuum honorem et gloriam semper utamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. xi. 22.

PERVENIT autem sermo ad aures ecclesiæ quæ erat Jerosolymis, super istis: et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est: et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino. Pro-

fectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia: et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam: et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.

Evangelium.

S. Joan. xv. 12.

HOC est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

In Die Sancti Joannis Baptistae.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, cujus providentia famulus tuus Joannes Baptista mirabiliter natus est, et missus ut pœnitentiam prædicando Filii tui Salvatoris nostri viam præpararet; Fac nos ejus doctrinam et sanctam vitam ita imitari, ut veram agamus pœnitentiam juxta ipsius prædicationem; et secundum ejus exemplum constanter confiteamur veritatem, libere crimina reprehendamus, ac pro confessione veritatis mala patienter perferamus. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Isaiæ xl. 1.

CONSOLAMINI, consolamini, populi meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur

gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Vox dicentis: Clama: et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.

Evangelium.

S. Lucæ i. 57.

ELISABETH impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto, et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ: et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus: salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos: ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti: jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: ad dandam scientiam salutis plebi

ı remissionem peccatorum
: per viscera misericordiæ
ɔstri: in quibus visitavit
riens ex alto: illuminare
i in tenebris et in umbra
; sedent: ad dirigendos
pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israël.

In Die Sancti Petri.

Oratio.

ıNIPOTENS Deus, qui
per Filium tuum Jesum
um beato Petro Apostolo
lurima excellentia dona
isti, et ut gregem tuum
et intentius præcepisti;
a, quæsumus, ut omnes
ɔpi et Pastores Verbum
sanctum prædicent, idque
ıs obedienter sequatur,
ıus coronam æternæ glo-
nsequantur. Per eundem
Christum Dominum nos-
Amen.

Lectio pro Epistola.

Act. xii. 1.

ɪDEM tempore misit
Herodes rex manus,
ligeret quosdam de ec-
Occidit autem Jacobum
n Joannis gladio. Videns
quia placeret Judæis,
ıit ut apprehenderet et
n. Erant autem dies
rum. Quem cum appre-
set, misit in carcerem,
s quatuor quaternionibus
m custodiendum, volens
Pascha producere eum
ɔ. Et Petrus quidem
atur in carcere. Oratio
autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit: et lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: et continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus, ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum.

31

Evangelium.

S. Matt. xvi. 13.

VENIT Jesus in partes Cæsareæ Philippi: et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium Hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

In Die Sancti Jacobi Apostoli.

Oratio.

TRIBUE, misericors Deus, ut sicut sanctus Jacobus Apostolus tuus, relicto patre et omnibus quæ habebat, continuo obediens fuit vocationi Filii tui, et eum est secutus; ita nos, relictis omnibus mundanis et carnalibus affectibus, mandatis tuis sanctis semper pareamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. xi. 27, ad xii. 3.

IN his diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam: et surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligerit quosdam de ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.

Evangelium.

S. Matt. xx. 20.

TUNC accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem,

n ego bibiturus sum? Di-
: ei : Possumus. Ait illis :
.cem quidem meum bibetis :
:re autem ad dexteram meam
sinistram non est meum
: vobis, sed quibus paratum
ı Patre meo. Et audientes
:m, indignati sunt de duobus
:ibus. Jesus autem vocavit
ad se, et ait : Scitis quia
,cipes gentium dominantur
eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus ; sicut Filius Hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

In Die Sancti Bartholomaei Apostoli.

Oratio.

,MNIPOTENS sempiterne
Deus, qui gratiam dedisti
›stolo tuo Bartholomæo qua
leret Verbo tuo illudque do-
:t ; Da, quæsumus, Ecclesiæ
et amare quod credidit, et
dicare atque amplecti quod
ıit. Per Jesum Christum
ninum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Act. v. 12.

ER manus Apostolorum
fiebant signa et pro-
a multa in plebe. Et
ıt unanimiter omnes in
:icu Salomonis. Cæterorum
:m nemo audebat se con-
;ere illis : sed magnificabat
populus. Magis autem au-
ıtur credentium in Domino
titudo virorum ac muli-
n, ita ut in plateas ejicerent
'mos, et ponerent in lectulis
rabatis, ut, veniente Petro,
:m umbra illius obumbraret
nquam illorum, et libera-
ur ab infirmitatibus suis.
currebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis : qui curabantur omnes.

Evangelium.

S. Lucæ xxii. 24.

FACTA est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat : nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo : et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.

In Die Sancti Matthaei Apostoli.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per benedictum Filium tuum vocasti Matthæum, ut ex publicano Apostolus fieret et Evangelista; Da nobis gratiam ut studium pecuniæ et opum amorem inordinatum relinquamus, et sequamur eundem Filium tuum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

2 Ad Cor. iv. 1.

IDEO habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est evangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.

Evangelium.

S. Matt. ix. 9.

ET cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

In Die Sancti Michaelis et omnium Angelorum.

Oratio.

ÆTERNE Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas; Concede propitius, ut quibus tibi ministrantibus in

cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Apoc. xii. 7.

FACTUM est prælium magnum in cœlo: Michaël, et angeli ejus, præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus: et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis. Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

Evangelium.

S. Matt. xviii. 1.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

In Die Sancti Lucae Evangelistae.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui Lucam medicum, cujus laus est in Evangelio, ad te vocasti, ut factus Evangelista animarum quoque curam susciperet; Præsta, quæsumus, ut salubribus ejus doctrinæ medicinis, omnes animarum nostrarum morbi sanentur. Per merita Filii tui Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Epistola.

2 Ad Tim. iv. 5.

TU vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito: Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus; quem et tu devita: valde enim restitit verbis nostris.

Evangelium.

S. Lucæ x. 1.

DESIGNAVIT Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.

In Die Sanctorum Simonis et Judae, Apostolorum.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui Ecclesiam tuam super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, in ipso summo angulari lapide, Christo Jesu, ædificasti; Da nobis ita per eorum doctrinam in unitate Spiritus conjungi, ut sanctum templum tibi acceptum efficiamur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

S. Judæ I.

JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis et vocatis. Misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit: angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

Evangelium.

S. Joan. xv. 17.

HÆC mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato

suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

In Die omnium Sanctorum.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui conjunxisti electos tuos in una communione et societate mystici corporis Filii tui Domini nostri Jesu Christi; Da nobis Sanctos tuos in omnibus virtutibus et bonis operibus ita imitari, ut ad ineffabile gaudium, quod præparasti iis qui vere te diligunt, perveniamus. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Lectio pro Epistola.

Apoc. vii. 2.

ET vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Juda, duodecim millia signati: ex tribu Ruben, duodecim millia signati: ex tribu Gad, duodecim millia signati: ex tribu Aser, duodecim millia signati: ex tribu Nephthali, duodecim millia signati: ex tribu Manasse, duodecim millia signati: ex tribu Simeon, duodecim millia signati: ex tribu Levi, duodecim millia signati: ex tribu Issachar, duodecim millia signati: ex tribu Zabulon, duodecim millia signati: ex tribu Joseph, duodecim millia signati: ex tribu Benjamin, duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis: stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum: et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas,

et adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

Evangelium.

S. Matt. v. 1.

VIDENS Jesus turbas, ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus: et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

Ordo
Administrandi Coenam Dominicam,
SIVE
Sacram Communionem.

Quotquot cupiunt participes fieri Sacræ Communionis indicent nomina sua Parocho, aliqua saltem hora diei præcedentis.

Si quis autem eorum fuerit manifeste criminosus, vel verbis aut facto proximum injuria affecerit, et Populus eo offensus fuerit; Parochus, ejus rei certior factus, advocet eum et commonefaciat ne ullo modo audeat accedere ad Mensam Domini, donec se pravam vitam suam revera pœnitenter correxisse, et tum Populo quem offenderit, tum illis quos injuria affecerit, satisfecisse ostenderit; vel ad minimum se hoc quam primum commode fieri possit facturum professus fuerit.

Eodem modo eos etiam admoneat Parochus quos inter se simultates et odia habere intelligat; nec eos, donec invicem reconciliatos esse certo sciat, permittat Mensæ Domini fieri participes. Quorum si alter animo lubenti omnem injuriam sibi factam alteri condonare velit, et ipse satisfacere pro eo quod inique fecerit; alter vero, ut cum illo in gratiam, prout Christianum decet, redeat, non adduci possit, sed in malitia sua perseveret obstinatus: tum Parochus pœnitentem admittat ad Sacram Communionem, pertinacem vero ab eadem arceat. Proviso semper, quod omnis Parochus, si quos ita arceat, ut in hoc vel in præcedenti hujusce Rubricæ capitulo præscriptum est, ante quatuordecim

dies exactos totam rem exponat Ordinario, q
reo secundum Canonem lege aget.

Mensa, mundo linteamine albi coloris ei in tempor
munionis superposito, in medio Ecclesiæ stet,
Choro, ubi Preces Matutinæ et Vespertinæ s
cendæ. Et Sacerdos, stans ad septentrionale
latus, dicat Orationem Dominicam, cum O
sequenti, populo genuflexo.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Tum Sacerdos, ad populum conversus, DECEM MANDATA clarè recitet; populus autem, genibus flexis, post unumquodque Mandatum a

Deo indulgentia
violatione ejusde
pore præterito, et
qua id observent in
in hunc modum p

Minister. **Locut
Deus cunctos sermo
Ego sum Dominus
tuus: non habebis
alienos coram me.**

Populus. **Domine
rere nostri, et corda
ad servandam hanc
inclina.**

Minister. **Non fac
sculptile, neque om
militudinem quæ est
desuper, et quæ i
deorsum, nec eoru
sunt in aquis sub
Non adorabis ea,
coles: Ego sum D
Deus tuus fortis,
visitans iniquitatem
in filios, in tertiam e
tam generationem
qui oderunt me, et
misericordiam in mi
qui diligunt me, et c
unt præcepta mea.**

Populus. **Domine
rere nostri, et corda**

ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit Nomen Domini Dei sui frustra.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Honora patrem tuum et matrem tuam; ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non occides.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non mœchaberis.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non furtum facies.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Populus. Domine, miserere nostri, et has omnes leges tuas in cordibus nostris, quæsumus, inscribas.

Deinde sequatur altera ex hisce duobus orationibus pro Regina, Sacerdote stante ut antea et dicente,

Oremus.

OMNIPOTENS Deus, cujus regnum est æternum, et potentia infinita; Miserere universæ Ecclesiæ; et sic dirige cor electæ famulæ tuæ Victoriæ, Reginæ et gubernatricis nostræ, ut cognoscat se esse ministrum tuum, et ante omnia quærat gloriam et honorem tuum: et ut nos omnesque ejus subditi, agnoscentes, ut decet, eam a te habere imperium, fideliter ei serviamus, eam honoremus, et ipsi humiliter obsequamur, in te et propter te, juxta præceptum et ordinationem tuam. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Sive,

OMNIPOTENS sempiterne Deus, in cujus verbo sancto docemur corda Regum in manibus tuis esse gubernanda, et a te prout divinæ sapientiæ tuæ visum sit disponi et inclinari: Supplices te rogamus ut cor Victoriæ famulæ tuæ, Reginæ et gubernatricis nostræ, ita disponas et gubernes, ut in omnibus suis cogitationibus, verbis, et operibus, tuum honorem et gloriam semper quærat, et populum tuum curæ suæ commissum in prosperitate, pace, et pietate custodire studeat: Hoc præsta, misericors Pater, propter dilectum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde dicatur Oratio de Die. Et post eam statim Epistolam legat Sacerdos, dicens, **Epistola** [Sive Portio Scripturæ pro Epistola assignata] **scripta est in Capitulo ——— et incipit ad Versum ———.** Finita Epistola, dicat, **Hic explicit Epistola.** Deinde, (populo universo se erigente,) legat Evangelium, dicens, **Sanctum Evangelium scriptum est in Capitulo ——— et incipit ad Versum ———.** Finito Evangelio, cantetur vel dicatur hoc sequens Symbolum, populo adhuc stante, ut antea.

CREDO in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cœli et terræ, Atque visibilium omnium et invisibilium:

Et in unum Dominum

Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, Consubstantialem Patri: Per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, Et homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato. Passus et sepultus est, Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, Et ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: Cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, Qui locutus est per Prophetas. Et unam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, Et exspecto Resurrectionem mortuorum, Et vitam venturi sæculi. Amen.

Tunc Parochus annuntiet populo ea quæ Hebdomade sequenti observanda sint Festa aut Jejunia. Tunc etiam, si occasio erit, Communio indicetur celebranda: Denuntiationes fiant de conjungendis in matrimonio: Brevia etiam, Citationes, et Excommunicationes perlegantur. Nihil autem in Ecclesia, tempore Officii Divini, promulgetur vel edicatur, nisi a Ministro; nec ab eo quidquam nisi quod in hujusce Libri Regulis præscriptum sit, aut Reginæ, vel Ordinarii Loci, auctoritate sancitum.

Deinde sequatur Concio, aut una ex Homiliis auctoritate vel jam editis vel posthac edendis.

Postea Sacerdos, ad Mensam Domini reversus, incipiat Offertorium, unam vel plures dicens ex hisce sequentibus Sententiis, prout ejus arbitrio visum fuerit.

SIC luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. S. Matt. v. 16.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur: thesaurizate autem vo-

bis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. S. Matt. vi. 19, 20.

Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: hæc est enim Lex et Prophetæ. S. Matt. vii. 12.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit. S. Matt. vii. 21.

Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. S. Luc. xix. 8.

Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 1 Cor. ix. 7.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 1 Cor. ix. 11.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. 1 Cor. ix. 13, 14.

Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 2 Cor. ix. 6, 7.

Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Gal. vi. 6, 7, 8.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. Gal. vi. 10.

Est quæstus magnus pietas, cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. 1 Tim. vi. 6, 7.

Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare: thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1 Tim. vi. 17, 18, 19.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in Nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. Heb. vi. 10.

Beneficentiæ autem et communionis nolite obli-

visci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Heb. xiii. 16.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1 S. Joan. iii. 17.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Tob. iv. 7.

Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Tob. iv. 8, 9, 10.

Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei. Prov. xix. 17.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Psal. xli. 2.

Dum hæ Sententiæ leguntur, Diaconi, vel Ædiles, vel alius quisquam idoneus ad hoc deputatus, Eleemosynas pro Pauperibus, cæteraque populi dona devota, in vase decenti a Parochia ad hoc præparando accipiant: idque reverenter afferant ad Sacerdotem, qui id in Sacra Mensa humiliter offerat et deponat.

Deinde Sacerdos, si Communio celebranda sit, Panis et Vini quod satis judicaverit Mensæ imponat. Quo facto Sacerdos dicat,

OREMUS pro universo statu Ecclesiæ Christi hic in terra militantis.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per sanctum Apostolum tuum nos docuisti facere orationes, obsecrationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Supplices te rogamus ut clementer [*eleemosynas atque oblationes nostras accipias, et* Si nullæ sunt eleemosynæ aut oblationes, hæc verba, *de eleemosynis et oblationibus accipiendis* non sunt dicenda] has preces nostras exaudias, quas offerimus Divinæ Majestati tuæ: Supplicantes ut spiritum veritatis, unitatis, et concordiæ Catholicæ Ecclesiæ tuæ perpetuo inspires: Et præsta ut omnes qui sanctum Nomen tuum confitentur, in sancti verbi tui veritate consentiant, et in uni-

tate et pia charitate concordes vivant. Insuper te rogamus ut omnes Christianos Reges, Principes, et Gubernatores, salvos facias et defendas; et præcipue famulam tuam Victoriam Reginam nostram: ut sub ea pie et tranquille gubernemur: Præsta quoque universo Concilio ejus, singulisque magistratu sub ea fungentibus, ut recte ac sine personarum acceptione jus dicant, quo scelera et nequitia corrigantur, et vera tua religio, virtusque, stabiliantur. Da gratiam, Pater cœlestis, omnibus Episcopis et Parochis, ut tam vita quam doctrina sua verum vivumque verbum tuum annuntient, et sancta tua Sacramenta recte et rite ministrent. Et universo populo tuo tribue gratiam tuam: et præcipue huic congregationi præsenti: ut humili animo et debita reverentia audiant et accipiant sanctum verbum tuum: et tibi fideliter serviant in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ suæ. Supplices etiam te rogamus, Domine, ut pro bonitate tua eos omnes consoleris et adjuves, qui in hac temporali vita tribulatione, mœstitia, inopia, morbo, aliisve rebus adversis laborant. Benedicimus quoque sancto Nomini tuo propter omnes famulos tuos in fide et timore tuo defunctos: te rogantes ut gratiam nobis concedas qua, bona eorum exempla secuti, nos una cum illis cœlestis regni tui fiamus participes: Hoc, Pater, largiri digneris, propter Jesum Christum unicum nostrum Mediatorem atque Advocatum. *Amen.*

Cum Parochus celebrationem Sacræ Communionis futuram annuntiet, (id quod semper vel in Dominica, vel in Festo aliquo, proxime præcedenti, faciendum est,) post Concionem aut Homiliam finitam, hanc sequentem legat Exhortationem.

DILECTISSIMI, propositum habeo, Deo adjuvante, die —— proximo omnibus pie et devote animo affectis Sacramentum illud consolatorium Corporis et Sanguinis Christi administrare: ut ab eis accipiatur in memoriam Crucis ejus et Passionis piacularis, per quam solam peccatorum remissionem consequimur, et regni cœlorum efficimur participes. Quare oportet nos Deo Omnipotenti, Patri cœlesti nostro, ideo humiliter et ex animo gratias agere, quia Filium suum Salvatorem nostrum Jesum Christum dedit, non solum ut pro nobis moreretur, sed ut nobis

pabulum spirituale fieret in sacrosancto illo Sacramento. Quod cum digne accipientibus res tam divina sit, tam consolatoria, iis autem, qui indigne accipere audeant, tam periculosa: meum officium est vos cohortari, ut interea vobiscum reputetis, quanta sit sacrosancti illius Mysterii dignitas, quantum in ejusdem indigna participatione periculum: et ut conscientias vestras, non leviter, nec more hypocritarum coram Deo, sed ita penitus inspiciatis et exploretis, ut vos ad tam cœleste convivium in sanctitate accedentes, et nuptiali illa veste quam in Sacra Scriptura requirit indutos, accipiat Deus ut dignos qui Mensæ illius sacræ fiatis participes.

Quod ut fiat, hæc ineunda est ratio. Imprimis ad normam præceptorum Dei mores vestros exploretis: et in quo intellexeritis vos, voluntate, verbo, aut opere offendisse, in eo iniquitatem vestram flebiliter coram Deo agnoscatis, ita tamen ut certo sit vobis propositum vitam melius instituere. Quod si peccata vestra ea esse deprehenderitis quæ non solum Deo, sed etiam proximis offensioni sint, tum vos oportebit iis vosmetipsos reconciliare, et paratos esse pro virili satisfacere pro omnibus injuriis alii cuicumque per vos illatis, et aliis similiter suas contra vos offensas condonare, sicut et vos pro vestris a Deo veniam impetrare velitis. Quod nisi fiat, ad hoc tantum valet sacræ Communionis participatio, ut damnationem vestram adaugeat. Quare siquis vestri blasphemus sit, si verbi Dei adversarius vel obtrectator, si adulterii vel malitiæ, vel invidiæ, vel alius cujusvis peccati gravioris sit reus, aut propter peccata pœnitenter doleat, aut ab illa sacra Mensa se abstineat: ne post sacrosanctum illud Sacramentum sumptum, in eum, sicut in Judam, introeat diabolus, et eum, omni iniquitate repletum, ad exitium tam corporis quam animæ perducat.

Quia autem necesse est, ut ad sacram Communionem nemo accedat, nisi qui Divinæ misericordiæ plenam fiduciam habeat et tranquillam conscientiam: si quis vestrum conscientiam suam rationibus supra memoratis sedare nequeat, sed plus solatii desideret, vel consilii, ad me se conferat aut ad aliquem alium verbi Dei Ministrum prudentem et eruditum, et dolorem suum detegat: ut per ministrationem sancti verbi Dei beneficium absolutionis consecutus, conscientiam suam tranquillare, et omnes dubitationes scrupulosque deponere valeat.

Sive, si quando populum Sacram Communionem negligere perspexerit, loco præcedentis hanc sequentem faciat exhortationem.

DILECTISSIMI fratres, die —— propositum habeo, Dei gratia, Cœnam

Dominicam celebrare: ad quam, pro Deo, vos omnes voco qui adestis, et propter Dominum Jesum Christum obsecro, ne ad eam, tam amanter a Deo ipso vocati, venire abnuatis. Non ignoratis quam molestum sit et inhumanum, quod, cum quis magnificum apparaverit convivium, et mensam suam adeo epulis instruxerit ut nihil desit nisi ut convivæ accumbant, ipsi qui vocati sunt tam temere quam ingrate negent se affuturos. Quis vestrum, si secum eo pacto ageretur, non succenseret? Quis non gravem injuriam sibi factam putaret? Quamobrem, dilectissimi in Christo, caveatis, quæso, ne, sacram hanc Cœnam devitantes, contra vos indignationem Dei commoveatis. Facile est quidem dictu, Nolo communicare, nam quominus hoc faciam mundana negotia prohibent. Non tamen ita facile coram Deo accipiuntur hujusmodi excusationes. Si quis dicat, Accedere non audeo, quia graviter peccavi: cur, quæso, non se corrigit, et mores emendat? Nonne vos pudet, Deo vocante, negare vos affuturos? An vos, quando ad Deum redeundum est, excusabitis? An vos minus paratos esse profitebimini? Vobiscum diligenter reputetis, quam nihil apud Deum valeant hujusmodi fictæ excusationes. Qui convivium illud in Evangelio ideo recusarunt, quia villam empserunt, aut juga boum probare voluerunt, aut uxores duxerunt, non ob hæc excusati habiti sunt, sed cœlesti convivio indigni. Quod ad me attinet, paratus adero: vos autem pro officio meo in Nomine Dei voco, pro Christo vos invito, et propter salutem vestram adhortor, ut hujus sacræ Communionis sitis participes. Cum enim Filius Dei non dedignatus sit animam suam pro salute vestra in Cruce moriendo ponere, oportet vos in memoriam sacrificii mortis ejus, sicut ipse jussit, Communionem accipere. Quod si negligitis, considerate vobiscum quantam injuriam Deo inferatis, et quam grave supplicium ob hoc vobis immineat, dum a Mensa Dominica obstinate vos continetis, sejungitisque a fratribus, qui ut epulis illis cœlestibus vescantur conveniunt. Quæ si serio perpendatis, Dei gratia meliora sentietis: quod ut fiat, Deo Omnipotenti, Patri nostro cœlesti, supplicare non desinemus.

Cum celebranda est Communio, Communicaturis ad participationem Sancti Sacramenti commode collocatis, hanc Exhortationem recitet Sacerdos.

VOS, dilectissimi in Domino, qui vultis ad sacram Communionem Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri accedere, considerare oportet quomo-

do Beatus Paulus omnes cohortatur, ut prius se probent et inspiciant quam de Pane illo edere, et de Calice illo bibere, audeant. Nam sicut admodum salutare est pœnitenti corde et viva fide sacrosanctum illud percipere Sacramentum: (tunc enim Christi Carnem spiritualiter edimus, et Sanguinem bibimus; in Christo habitamus, et Christus in nobis; unum efficimur cum Christo, et nobiscum Christus;) ita etiam idem indigne accipientibus grave est periculum. Tunc enim rei sumus Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri: judicium nobis manducamus et bibimus, non dijudicantes Corpus Domini: iram Dei contra nos accendimus, provocantes eum ut nos variis morborum mortisque plagis percutiat. Dijudicate ergo vosmetipsos, fratres, ne a Domino judicemini: pœniteat vos serio peccatorum præteritorum: in Christo Salvatore constantissime confidite: mores vestros corrigite: erga omnes perfectam habete charitatem: ita enim digni eritis qui istorum Mysteriorum sacrorum sitis participes. Sed et ante omnia necesse est ut Deo, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, toto cordis affectu gratias humiliter agatis, quod mundum redemit per Passionem et Mortem Christi Salvatoris nostri, Dei et Hominis, qui humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter nos miseros peccatores, qui in tenebris et mortis umbra jacebamus: ut nos Dei filios efficeret, et ad vitam æternam exaltaret. Et ut semper memores essemus ineffabilis illius charitatis Magistri nostri et unici Salvatoris, Jesu Christi, pro nobis ita mortui, et beneficiorum innumerabilium quæ per pretiosam Sanguinis sui effusionem nobis comparavit, sancta ipse Mysteria instituit, tanquam amoris sui pignora, et in mortis suæ perpetuam commemorationem, ad insignem nostram et infinitam consolationem. Ei igitur, cum Patre et Spiritu Sancto, (prout merito debemus,) gratias agamus indeficientes; sanctæ ejus voluntati totos nos subjiciamus, et ei in vera sanctitate et justitia, omnibus diebus vitæ nostræ servire studeamus. *Amen.*

Deinde Sacerdos alloquatur communicaturos his verbis,

VOS quos vere et serio peccatorum vestrorum pœnitet, qui erga proximos veram habetis charitatem, qui vitam novam instituere decrevistis, mandatis Dei obsequendo, et in viis ejus posthac ambulando: Cum fide accedite, ut hoc sanctum percipiatis Sacramentum ad vestram consolationem; et, reverenter genuflexi, humilem vestram Deo Omnipotenti confessionem facite.

Deinde fiat hæc generalis Confessio in nomine eorum qui communicaturi sunt, per unum ex Ministris, qui cum universo populo genua humiliter flectat, et dicat,

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Conditor omnium rerum, Omnium hominum judex: Confitemur et deploramus multiplicia peccata et delicta nostra, Quæ subinde impie admisimus, Cogitatione, verbo, et opere, Contra Divinam Majestatem tuam, Provocantes adversus nos justissimam iram et indignationem tuam. Serio nos pœnitet, Et ex animo dolemus ob has prævaricationes *nostras:* Quarum recordatio nobis acerba est, Onus intolerabile. Miserere nostri, Miserere nostri, Pater misericors; Propter Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, Quod præteritum est nobis condona: Et concede ut semper posthac Tibi in novitate vitæ Serviamus et placeamus, Ad honorem et gloriam Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos, (aut Episcopus, si adsit,) se erigat, et ad populum conversus, hanc pronuntiet Absolutionem.

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro magna misericordia sua omnibus ex animo pœnitentibus, ad se cum vera fide conversis, peccatorum remissionem est pollicitus: Misereatur vestri, et dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni bono, et ad vitam perducat æternam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Sacerdos dicat.

AUDITE quam consolatoriis verbis omnes ad se veraciter conversos alloquitur Christus Salvator noster.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. S. Matt. xi. 28.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. S. Joan. iii. 16.

Audite etiam quid dicat Sanctus Paulus.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1 Tim. i. 15.

Audite etiam quid dicat Sanctus Joannes.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1 S. Joan. ii. 1, 2.

Postea pergat Sacerdos, dicens,

SURSUM corda.

Resp. **Habemus ad Dominum.**

Sacerdos. **Gratias agamus Domino Deo nostro.**

Resp. **Dignum et justum est.**

Deinde Sacerdos, ad Mensam Dominicam conversus, dicat,

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater* omnipotens, æterne Deus.

* [Hæc verba **sancte, Pater** in Dominica SS. Trinitatis omittenda sunt].

Hic sequatur Propria Præfatio de Tempore, si quæ assignata sit; alioqui statim subjungatur,

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua: Gloria tibi, Domine altissime. ***Amen.***

PRÆFATIONES PROPRIÆ.

In Die Nativitatis Domini, et septem diebus sequentibus.

QUIA dedisti Jesum Christum, Filium tuum unicum, ut hoc tempore pro nobis nasceretur: qui, operante Spiritu

Sancto, verus Homo factus est ex substantia Virginis Mariæ matris suæ: idque sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Paschæ, et septem diebus sequentibus.

SED te potissimum prædicare, propter Resurrectionem gloriosam Filii tui Jesu Christi Domini nostri: Ipse enim verus est Agnus Paschalis, qui pro nobis immolatus abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo nobis æternam reparavit. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Ascensionis Domini, et septem diebus sequentibus.

PER dilectissimum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum; qui post gloriosissimam Resurrectionem suam omnibus Apostolis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut pararet nobis locum: ut ubi ipse est, eo et nos ascenderemus, et cum ipso in gloria regnaremus. Et ideo cum *Angelis*, &c.

In Die Pentecostes, et sex diebus sequentibus.

PER Jesum Christum Dominum nostrum; secundum cujus veracem promissionem Spiritus Sanctus hoc tempore, facto repente sono tanquam advenientis spiritus vehementis, de cœlo in similitudine linguarum tanquam ignis, in Apostolos descendit, ut eos doceret, et in omnem veritatem duceret: quibus etiam contulit et diversarum donum linguarum, et fortitudinem qua cum ferventi zelo omnes gentes constanter evangelizarent: quo factum est ut nos ex tenebris erroris in claram lucem et veram cognitionem tui, et Filii tui Jesu Christi, educti essemus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Festo tantum SS. Trinitatis.

QUI unus es Deus, unus es Dominus; non in unius singularitate Personæ, sed in unius Trinitate Substantiæ. Quod enim de Patris gloria credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Et ideo cum Angelis, &c.

Quarum post singulum Præ-

fationum statim cantetur vel dicatur,

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua: Gloria tibi, Domine altissime. *Amen.*

Deinde Sacerdos, ad Mensam Dominicam genuflexus, hanc sequentem dicat Orationem nomine eorum omnium qui communicare volunt.

NON justitiæ nostræ, misericors Domine, sed multitudinis magnarum miserationum tuarum fiducia, ad hanc Mensam tuam accedere audemus. Non sumus digni qui vel micas sub Mensa tua colligamus. Tu autem idem ille es Dominus, cui proprium est semper misereri: Tribuas igitur nobis, benigne Domine, Carnem dilecti Filii tui Jesu Christi ita manducare, et Sanguinem ejus bibere, ut corpora nostra immunda per Corpus ejus mundentur, et animæ per pretiosissimum ejus Sanguinem laventur, et nos perpetuo habitemus in eo, et ipse in nobis. *Amen.*

Cum Sacerdos, stans ante Mensam, ita Panem et Vinum disposuit ut promptius et decentius coram populo Panem frangere, et in manus suas Calicem accipere possit, dicat Orationem Consecrationis, ut sequitur.

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro misericordiæ tuæ pietate unicum Filium tuum Jesum Christum dedisti, ut mortem in Cruce pateretur pro nostra redemptione; qui ibi (unica sui ipsius oblatione semel facta) plenum, perfectum, et sufficiens sacrificium, oblationem, et satisfactionem pro totius mundi peccatis fecit; et instituit, et in sancto Evangelio suo nobis præcepit observare, pretiosæ mortis illius memoriam, usque dum rediret, perpetuam: Exaudi nos, misericors Pater, supplices te rogamus: et concede ut nos has creaturas tuas panis et vini, secundum sanctam Filii tui Jesu Christi Salvatoris nostri institutionem, in mortis et passionis ejus memoriam, percipientes parti-

cipes simus beatissimi Corporis et Sanguinis ejus: Qui, in qua nocte tradebatur, (Hic Sacerdos in manus suas accipiat Patenam :) **accepit Panem; Et tibi gratias agens,**(Hic frangat Panem :) **fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite, et manducate,** (Hic omni Pani manum imponat :) **Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens** (Hic in manum suam Calicem accipiat :) **Calicem; item tibi gratias agens, dedit illis, dicens, Bibite ex eo omnes;** (Hic manum imponat cuique Vasi, sive Calici sive Lagenæ, quo insit Vini aliquod consecrandi :) **Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.** ***Amen.***

Deinde Minister Communionem sub utraque specie ipse primus sumat, eamque postea Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, (siqui adsint,) similiter tradat, et postea populo etiam deinceps in manus suas, omnibus humiliter genuflexis. Et cum alicui Panem tradit, dicat,

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam. Accipe et manduca hoc in memoriam quod Christus mortuus est pro te, et in corde tuo, per fidem, vescere illo cum gratiarum actione.

Et Minister qui alicui Calicem tradit, dicat,

SANGUIS Domini nostri Jesu Christi, qui pro te effusus est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam. Bibe hoc in memoriam quod Sanguis Christi effusus est pro te, et gratias age.

Si consumptus fuerit consecratus Panis aut Vinum priusquam omnes communicaverint, Sacerdos plus consecret secundum formam antea præscriptam; incipiens a verbis **Christus Salvator noster in qua nocte tradebatur, &c.** ad benedictionem Panis: et a verbis **Simili modo posteaquam cœnatum est, &c.** ad benedictionem Calicis.

Cum omnes communicaverint, Minister, ad Men-

sam Dominicam reversus, quod reliquum est Elementorum consecratorum in ea reverenter deponat, et mundo linteamine cooperiat.

Deinde Sacerdos dicat Orationem Dominicam, populo post eum singulas petitiones recitante.

PATER noster, qui es in cœlis, • Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo: Quia tuum est regnum, Potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicatur quod sequitur.

DOMINE Pater cœlestis, nos humiles famuli tui rogamus supplices paternam tuam bonitatem, ut hoc nostrum laudis et gratiarum sacrificium benignus accipias: humillime supplicantes, ut propter merita et mortem Filii tui Jesu Christi, et per fidem in sanguine ipsius, et nos et universa Ecclesia tua peccatorum remissionem et cætera omnia passionis ejus beneficia consequamur. Et hic tibi, Domine offerimus et exhibemus nosmetipsos, animas et corpora nostra, tibi hostiam rationabilem, sanctam, et viventem; supplices te rogantes, ut quotquot hujus sacræ Communionis participes facti sumus, omni benedictione cœlesti et gratia tua repleamur. Et quamvis propter multiplicia peccata nostra non digni simus qui ullum sacrificium tibi offeramus, hanc tamen debitam oblationem servitutis nostræ, non æstimator meriti sed veniæ, quæsumus, largitor accipias. Per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem et cum quo est tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Sive hæc.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tibi toto cordis affectu gratias agimus, quia nos hæc sancta Mysteria recte accipientes cibo spirituali pretiosissimi Corporis et Sanguinis Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi pascere dignatus es; et per hoc nos certiores facere

de gratia et bonitate tua erga nos, et quod sumus vera membra corpori Filii tui mystico, fidelium omnium beatæ societati, incorporata, et hæredes secundum spem æterni regni tui, propter merita pretiosissimæ mortis et passionis dilecti Filii tui. Teque, cœlestis Pater, supplices rogamus, ut gratiæ tuæ subsidiis adjuti in sancta illa societate perseveremus, et ea omnia bona faciamus opera, quæ præparasti ut in illis ambulemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui sit tecum, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Tunc dicatur vel cantetur;

GLORIA in excelsis Deo, Et in terra pax hominibus bonævoluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili unigenite, Jesu Christe; Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. *Amen.*

Deinde Sacerdos (sive Episcopus, si adsit) populum hac Benedictione dimittat.

PAX Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Orationes, quarum una aut plures his diebus quibus nulla est Communio post Offertorium dicendæ sunt; quæ etiam, quoties occasio erit, post Orationem Matutinarum, Vesperarum, Communionis, aut Litaniæ, pro arbitrio Ministri, dici possunt.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum

alutis tuæ prosperitate
one: ut inter omnes viæ
vitæ hujus varietates,
senti misericordiæ tuæ
per protegantur auxilio.
Jesum Christum Do-
um nostrum. *Amen.*

IRIGERE et sanctifi-
care et regere dignare,
nine Deus Omnipotens
terne, quæsumus, corda
rpora nostra in lege tua,
ı operibus mandatorum
um: ut hic et in æter-
ı, te auxiliante, et cor-
: et anima sani et salvi
odiamur. Per Dominum
alvatorem nostrum Je-
Christum. *Amen.*

RÆSTA, quæsumus,
Omnipotens Deus, ut
a quæ hodie auribus ex-
ıs accepimus, ita gratia
cordibus nostris interius
rantur, ut in nobis bonæ
: fructum proferant, ad
orem et laudem Nominis
Per Jesum Christum
ninum nostrum. *Amen.*

CTIONES nostras,
quæsumus, Domine,
rando præveni, et adju-
lo prosequere; ut cunc-
ostra operatio a te sem-
incipiat, et per te cœpta
finiatur, quatenus sanctum
Nomen tuum glorificemus,
et misericordia tua vitam
æternam consequamur. Per
Jesum Christum Dominum
nostrum. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, totius sapientiæ fons, cui patet quod opus sit nobis anteaquam petamus, et nostra in petendo ignorantia: Miserere, quæsumus, infirmitatum nostrarum; et quæ pro indignitate nostra petere non audemus, et pro cæcitate nostra non possumus, tu nobis propitius concedere digneris, propter dignitatem Filii tui Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, qui in Nomine Filii tui rogantium petitiones exaudire promisisti; Aures tuas, quæsumus, nobis benignus inclina, qui jam preces et supplicationes nostras coram te fecimus: et concede ut quæ secundum voluntatem tuam fideliter rogavimus, efficaciter consequamur, ad subsidium necessitatis nostræ et ad illustrandam gloriam tuam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

In Dominicis cæterisque Diebus festis, (si nulla sit Communio,) ea omnia dicantur quæ in Ordine Communionis præscripta sunt, usque ad finem Orationis Generalis **Pro universo statu Ecclesiæ Christi hic in terra militantis**, cum una vel pluribus ex Orationibus proxime præcedentibus, et cum Benedictione ad absolvendum Officium.

Nulla fiat celebratio Cœnæ Dominicæ, nisi conveniens numerus adsit Communicantium cum Sacerdote, ad ejus arbitrium.

Item, Si non sint in Parochia plures quam viginti personæ pro intelligentia idoneæ ad communicandum, non fiat Communio nisi quatuor, aut tres ad minimum, cum Sacerdote communicaturi adsint.

Item in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, et in Collegiis, ubi multi sunt Presbyteri et Diaconi, omnes una cum Sacerdote singulis Dominicis ad minimum communicent, nisi forte justa de causa eorum quispiam impediatur.

Item, Ut auferatur omnis occasio dissensionis aut superstitionis, quam habeat quisquam vel habere possit de Pane et Vino, sufficiat quod Panis idem sit quo in cibum uti moris est; sed de optimo et sincerissimo genere Panis triticei quod convenienter comparari possit.

Item, Quodcunque Panis et Vini non fuerit consecratum, Parochus in suum usum habeat: si quid autem consecrati reliquum fuerit, non ex Ecclesia auferatur, sed statim post Benedictionem Sacerdos, aliique Communicantes, quotquot ad se vocaverit, id reverenter manducent et libant.

Item, Panis et Vinum ad Communionis usum a Parocho et Æditibus, impensis Parochiæ comparentur.

Item sciendum est, Quod omnis Parochianus ter ad minimum in anno communicare debet, et nominatim in tempore Paschali. Quo etiam tempore omnis Parochianus cum Persona, Vicario, aut Parocho, aut cum ejus vel eorum Deputato vel Deputatis, rationem ineat; et omnia Debita Ecclesiastica, tunc temporis prout consuetum est persolvenda, eis vel ei persolvat.

Peracto Officio Divino, pecunia ad Offertorium devota

in beneficos et pius usus erogetur, prout Ministro et Ædilibus visum fuerit. Qua in re si diverse sentiant, erogetur prout Ordinarius præscripserit.

Cum in hoc Ordine Administrandi Cœnam Dominicam ræscriptum sit ut genuflexi eam percipiant Communiintes; (cujus præcepti hoc consilium est, illudque optiıum, nempe ad significandum quam humili gratoque nimo Christi beneficia in ea omnibus digne accipientibus ıllata agnoscamus, et ad vitandam eam irreverentiam aut mfusionem quæ alioquin inter Sacram Communionem roriri possint:) tamen ne a quibusquam, aut ex ignorntia et infirmitate aut ex malitia et pertinacia, ea genuectio prave intelligatur vel in pejus detorqueatur: Hic eclaratur, Nullam per eam vel intendi vel faciendam se adorationem aut Sacramentalis Panis et Vini ibi cororaliter acceptorum, aut corporalis cujusquam præsentiæ 'arnis et Sanguinis naturalium Christi. Sacramentalis nim Panis, et Vinum, in suæ proprietate naturæ vel ubstantiæ permanent, ideoque ea adorare non licet: id nim idololatria esset, ab omnibus fidelibus Christianis bominanda. Et Christi Salvatoris nostri naturale Corus, et Sanguis, non hic, sed in cœlo sunt: naturale enim 'hristi Corpus in duobus simul locis consistere, salva ejus eritate, dici non potest.

Ordo Baptismi Parvulorum

PUBLICE IN ECCLESIA ADMINISTRANDI.

Admonendus est populus, Baptismum convenientissime in Dominicis tantum aliisque Festis, quando hominum plurima est frequentia, administrari; tum ut populus ibi congregatus neophytos societati Ecclesiæ Christi annumeratos esse testificetur, tum quia, dum baptizantur parvuli, in memoriam cujuslibet adstantis professio illa facilius revocatur, quam ipse coram Deo in suo Baptismo fecit. Quam etiam ob causam expedit Baptismum vulgari sermone administrari. Attamen, si id necessitas requirat, parvulos quolibet alio die baptizare licet.

Et nota, quod pro unoquoque masculo infante baptizando necesse est adsint duo Patrini et una Matrina: pro fœmina autem, unus Patrinus et Matrinæ duæ.

Cum infantes baptizandi sunt, id Parocho indicent parentes vel nocte præcedenti, vel mane ante inceptas preces Matutinas. Tunc autem ad Fontem parati adesse debent Patrini et Matrinæ, et alii cum parvulis, statim post secundam vel ad Matutinas vel ad Vesperas lectionem, prout Parochus suo arbitrio decreverit. Et Sacerdos accedens ad Fontem, quem tunc aqua pura impleri oportet, et ibi adstans, dicat:

JAMNE baptizatus est hic infans, an non?

Si respondebunt non esse baptizatum, tum pergat Sacerdos verbis sequentibus.

DILECTISSIMI, quoniam omnes homines in peccato concipiuntur et nascuntur, et Salvator noster Christus dicit, Nemo potest introire in regnum Dei, nisi regeneratus fuerit, et renatus ex aqua et Spiritu Sancto: obsecro vos, ut invocetis Deum Patrem per Dominum nostrum Jesum Christum, ut pro largitate misericordiæ suæ huic infanti id concedat quod ex natura habere nequit: scilicet, ut aqua et

Spiritu Sancto baptizetur, et in sanctam Ecclesiam Christi admittatur, et ejusdem vivum membrum fiat.

Tunc dicat Sacerdos, Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui pro magna misericordia tua Noe et familiam ejus in arca conservasti, ne in aquis perirent; et filios Israel, populum tuum, in spe per Mare Rubrum deduxisti, eo figurans sacrosanctum tuum Baptismum: et per Baptismum in fluvio Jordane dilectissimi Filii tui Jesu Christi aquam in mysticam peccati ablutionem sanctificasti: Rogamus te per infinitas misericordias tuas, ut hunc infantem benignus respicias, et Spiritu Sancto laves et sanctifices; quatenus ab ira tua liberatus, in arcam Ecclesiæ Christi admittatur; et fide constans, spe lætus, charitate radicatus, hujusce mundi inquieti fluctus ita transeat, ut ad patriam vitæ sempiternæ tandem perveniat, ibi tecum regnaturus in sæcula sæculorum. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, vita credentium, resurrectio mortuorum: Te invocamus pro hoc infante, ut ad sanctum tuum Baptismum accedens, remissionem peccatorum spirituali regeneratione consequatur. Accipe eum, Domine, sicut per dilectum Filium tuum pollicitus es, dicens, Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Ita nunc nobis petentibus, quod petimus concede; liceat nobis quod quærimus invenire: nobis januam pande pulsantibus: ut hic infans æternum cœlestis lavacri tui beneficium consecutus, sempiterna regna per Christum Dominum nostrum promissa percipiat. *Amen.*

Deinde populo se erigente, dicat Sacerdos,

Audite verba Evangelii per Sanctum Marcum scripta, in capite decimo, ad versum tredecimum.

OFFEREBANT Christo parvulos, ut tangeret illos: discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

Perlecto Evangelio, de ejus verbis Minister populum hisce sequentibus breviter adhortetur.

AUDIVISTIS, dilectissimi, in hoc Evangelio verba Christi Salvatoris, jubentis parvulos sibi offerri, reprehen-

tis illos qui eos a se arcebant, ortantis omnes homines ut entur eorum innocentiam. elligitis quomodo per id d exterius gessit suam erga benevolentiam indicavit: ı brachiis suis eos complex- super eos manus imposuit, os benedixit. Ne dubitetis ır, verum firmiter credite, ı non minus benigne accep- m hunc qui adest infantem, hiis misericordiæ suæ com- urum esse, et beneficium æternæ, regnique sui sem- rni communionem, ei col- rum. Quamobrem nos, hoc certiores facti illius be- ıitatis, quam Pater noster estis erga hunc infantem per ım Christum Filium suum aravit; nec dubitantes quin ergratum sit quod nos ex io charitatis hunc infantem sanctum ejus Baptismum ılerimus, gratias ei pie ac liter referamus, dicentes;

MNIPOTENS sempiter- ne Deus, Pater cœlestis, ias tibi suppliciter agimus, d ad gratiæ tuæ agnitionem, d fidem erga te, nos vocare ıatus es. Hanc agnitionem, sumus, in nobis adauge, c fidem in perpetuum con- ıa. Da huic infanti Spi- m Sanctum tuum, quo re- eretur, et hæres fiat æternæ ıtis. Per Jesum Christum minum nostrum, qui tecum t et regnat in unitate Spi- s Sancti, nunc et per omnia ula sæculorum. *Amen.*

Deinde Sacerdos Patrinos et Matrinas in hanc formam alloquatur.

DILECTISSIMI, hunc infantem huc attulistis, ut baptizetur: orastis ut Dominus noster Jesus Christus eum accipere, a peccatis absolvere, et Spiritu Sancto sanctificare, eique regnum cœlorum et vitam æternam tribuere dignetur. Audivistis præterea Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio promisisse, se hæc omnia quæ rogastis concessurum: quam promissionem ipse pro parte sua certissime præstabit. Quamobrem, hac a Christo promissione facta, hunc infantem etiam oportet pro parte sua per vos fidejussores spondere (donec ad eam ætatem pervenerit qua ipse pro se hoc idem valeat suscipere) se diabolo et omnibus ejus operibus abrenuntiaturum, verbo Dei sancto constanter crediturum, et mandata ejus obedienter servaturum. Hæc itaque interrogo:

Abrenuntias, in nomine hujus infantis, diabolo et omnibus ejus operibus, inani pompæ et gloriæ mundi, et omnibus ejus cupiditatibus, cum carnis concupiscentiis, adeo ut eas sequi vel ab eis duci te non sis permissurus?

Resp. Abrenuntio iis omnibus.

Minister. Credis in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ?

Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum? Eumque conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine; passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum: descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse; ascendisse ad cœlos, et sedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis; et inde venturum esse in fine sæculi, judicare vivos et mortuos?

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?

Resp. **Hæc omnia firmissime credo.**

Minister. **Vis baptizari in hac fide?**

Resp. **Volo.**

Minister. **Servabis igitur obedienter Dei sanctam voluntatem et mandata, et in iis ambulabis omnibus diebus vitæ tuæ?**

Resp. **Hoc faciam.**

Deinde dicat Sacerdos:

CONCEDE, misericors Deus, ut vetus Adam in hoc infante ita sepeliatur, ut in eodem novus resurgat. *Amen.*

Concede ut in eo moriatur omne quod carnis est, vivat et crescat omne quod Spiritus. *Amen.*

Concede ut potestatem et vim habeat vincendi, ac triumphandi, de diabolo, mundo, et carne. *Amen.*

Concede ut quicunque hic per ministerii nostri officium tibi consecratur, cœlestibus etiam virtutibus ornetur, et æterna præmia consequatur: per misericordiam tuam, Domine Deus, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cujus Filius dilectissimus Jesus Christus in remissionem peccatorum nostrorum, de latere suo pretiosissimo et aquam et sanguinem profudit: et discipulis suis jussit ut euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Respice, quæsumus, populi tui supplicationes; hanc aquam in mysticam peccati ablutionem sanctifica; et tribue ut hic infans nunc in ea baptizandus tuæ gratiæ plenitudinem consequatur, et in numero filiorum tuorum fidelium et electorum semper permaneat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde accipiat Sacerdos infantem in manus suas, et dicat ad Patrinos et Matrinas,

Date nomen huic infanti.

Postea eum nomine quod dederint appellans, caute et prudenter in aquam immergat (si affirmaverint infantem id bene ferre posse) dicens.

N. EGO te baptizo In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

At si debilem esse infantem affirmaverint, satis erit super eum aquam fundere, et simul verba supradicta proferre,

N. EGO te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat Sacerdos,

ACCIPIMUS hunc infantem in societatem gregis Christi, eumque signo Crucis signamus,* in signum quod posthac non erubescet Christi crucifixi fidem confiteri, et sub ejus vexillo contra peccatum, mundum, et diabolum viriliter pugnare, et Christi fidelis miles et servus ad vitæ suæ finem permanere. Amen.

* Hic Sacerdos in fronte Infantis Crucem faciat.

Deinde dicat Sacerdos:

QUANDOQUIDEM nunc, fratres dilectissimi, hic infans est regeneratus, et in Christi Ecclesiæ corpus insitus; agamus gratias Deo Omnipotenti pro his beneficiis, et uno animorum consensu ei supplicemus, ut hic infans reliquam vitam suam secundum hoc initium peragat.

Deinde dicatur, omnibus genuflexis:

PATER noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Deinde dicat Sacerdos:

GRATIAS ex animo tibi agimus, Pater misericors, quia hunc infantem Spiritu Sancto tuo regenerare, filiis tuæ adoptionis annumerare, et sanctæ Ecclesiæ tuæ incorporare dignatus es. Et supplices te rogamus, ut iste mortuus peccato, justitiæ vivens, et cum Christo in mortem ejus consepultus, veterem hominem crucifigat, et totum corpus peccati destruat; et ut, quemadmodum Filii tui mortis factus est particeps, ita etiam fiat resurrectionis: quatenus tandem cum reliqua sancta Ecclesia tua, sempiternum regnum tuum hæreditate percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Deinde, omnibus sese erigentibus, Sacerdos Patrinos et Matrinas verbis sequentibus adhortetur.

QUONIAM hic infans per vos sponsores suos promisit se diabolo et omnibus ejus operibus abrenuntiaturum esse, crediturum in Deum, et serviturum ei: recordandum est vobis, vestrum esse officium

huic infanti ita consulere, ut (cum primum pro ejus ætate fieri possit) discat quam solenni voto et promisso se per vos hic obstrinxerit. Quod ut exactius intelligat, oportebit vos hortari eum ad conciones audiendas; et præcipue curare ut discat vulgari sermone Symbolum, Orationem Dominicam, et Decalogum, et cætera quæ Christianus homo pro salute animæ suæ et scire et credere debet; præterea, ut hic infans honeste educetur ad vitam pie et Christiane degendam: dum illud semper recordetur, nobis in Baptismo professionem nostram significari; quæ quidem nihil aliud est, quam ut Christi Salvatoris nostri exemplum sequamur, et ejus similes fiamus: quatenus, sicut ille pro nobis mortuus est et resurrexit, ita nos qui baptizati sumus peccato moriamur, et justitiæ resurgamus, semper mortificantes omnem nostræ affectum pravitatis, et quotidie proficientes in omni virtute et pietate.

Deinde hæc adjiciat dicens:

OPORTET vos curare adducendum hunc infantem ad Episcopum, ut ab eo confirmetur, cum primum Symbolum, Orationem Dominicam, et Decalogum vulgari sermone recitare poterit, et præterea Catechismo ab Ecclesia ad hunc usum edito institutus fuerit.

Certum est ex verbo Dei, infantes baptizatos, si moriantur antequam peccatum actuale admiserint, procul dubio salvos fieri.

Ut de usu Signi Crucis in Baptismo omnis scrupulus cuilibet eximatur, veram istius cærimoniæ explicationem, et rationem ejus retinendæ, in Canone XXXo primum in anno MDCIV. edito, reperire licet.

Ordo Baptismi Privati Parvulorum

IN DOMIBUS.

Omnes Parochi populum sæpe admoneant, ne Baptismum infantium ultra Dominicam primam vel secundam postquam nati fuerint, aut alium saltem festum diem, si quis intervenerit, differant, nisi ob gravem et rationabilem causam a Parocho approbandam.

Admoneant etiam parochianos suos, ne sine gravi causa et

necessitate infantes domi baptizandos curent. At cum id necessitas requirat, Baptismus hoc modo administretur.

Primum Parochus, seu, eo absente, alius quilibet Minister legitimus qui arcessi possit, cum iis qui adsunt Deum invocet, Orationem Dominicam dicens, et Orationes ex illis Ordini Publici Baptismi supra assignatis, quot pro temporis et instantis necessitatis ratione recitare possint. Deinde, cum aliquis qui adest nomen infanti dederit, Minister super eum aquam infundat, dicens hæc verba:

N. EGO te baptizo In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde, omnibus genuflexis, Minister Deo gratias agat, dicens:

GRATIAS ex animo tibi agimus, Pater misericors, quia hunc infantem Spiritu Sancto tuo regenerare, in filium tuæ adoptionis suscipere, et sanctæ Ecclesiæ tuæ incorporare dignatus es. Et supplices te rogamus, ut quemadmodum Filii tui mortis jam factus est particeps, ita etiam fiat resurrectionis; et tandem cum reliquis Sanctis tuis sempiternum regnum tuum hæreditate percipiat. Per eundem Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Nec dubitandum est, quin infans ita baptizatus rite et sufficienter baptizatus sit, et non debeat iterum baptizari. Attamen si postea diutius vivat, convenit eum in Ecclesiam adduci, quo, si Minister ejusdem parochiæ infantem baptizaverit, populus certior fiat de vera Baptismi forma ad eo privatim usurpata. Quo in casu ita dicat:

CERTIORES facio vos, me rite et secundum ordinem ab Ecclesia præscriptum, *tempore illo* et *loco illo*, coram pluribus testibus hunc infantem baptizasse.

At si infans ab alio Ministro legitimo baptizatus fuerit, Minister parochiæ in qua natus est, aut baptizatus, examinatione facta, an legitime baptizatus fuerit, necne, experiatur. Quo in casu si ii qui infantem in ecclesiam adduxerint eundem jam baptizatum esse respondeant, Minister eos ulterius percontetur, dicens:

A QUO baptizatus est hic infans?

Quo præsente baptizatus est hic infans?

Quia accidere potest, nonnulla huic Sacramento essentialiter necessaria propter timorem aut festinationem, urgente tali necessitate, prætermitti, igitur ulterius hoc vos interrogo;

Qua materia baptizatus est hic infans?

Quibus verbis baptizatus est hic infans?

Et si Minister ex responsionibus infantem offerentium perspiciet, omnia modo debito facta esse; infantem non denuo baptizet, sed tanquam veræ Christianorum societati jam aggregatum suscipiat, dicens:

CERTIORES facio vos, omnia de Baptismo hujus infantis rite et debito ordine facta esse; qui in peccato originali et sub ira Dei natus, jam per lavacrum Regenerationis in Baptismo, in numerum filiorum Dei et hæredum vitæ æternæ est assumptus. Dominus enim noster Jesus Christus talibus parvulis gratiam et misericordiam suam non denegat, sed eos ad se benignissime advocat; quod etiam in nostram consolationem sanctum Evangelium his verbis attestatur.

S. Marci x. 13.

OFFEREBANT Christo parvulos, ut tangeret illos: discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

Perlecto Evangelio, de ejus verbis Minister populum hisce sequentibus breviter adhortetur.

AUDISTIS, dilectissimi, in hoc Evangelio verba Christi Salvatoris, jubentis parvulos sibi offerri, reprehendentis illos qui eos arcebant, et hortantis omnes homines ut imitentur eorum innocentiam. Intelligitis quomodo per id quod exterius gessit suam erga eos benevolentiam indicavit; nam brachiis suis eos complexans, super eos manus imposuit, et eos benedixit. Ne dubitetis igitur, verum firmiter credite, eum non minus benigne hunc infantem accepisse, et brachiis misericordiæ suæ esse complexum; et sicut in sancto verbo suo pollicitus est, beneficium vitæ æternæ, regnique sui sempiterni communionem, ei collaturum. Quamobrem nos, per hoc certiores facti illius benignitatis, quam Pater noster cœlestis erga hunc infantem per Jesum Christum Filium suum declaravit, gratias ei pie ac fideliter referamus, et orationem illam dicamus quam Dominus noster ipse docuit.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Pater cœlestis, gratias tibi suppliciter agimus, quod ad gratiæ tuæ agnitionem, et ad fidem erga te, nos vocare dignatus es. Hanc agnitionem, quæsumus, in nobis adauge, hanc fidem in perpetuum confirma. Da huic infanti Spiritum Sanctum tuum; ut per Dominum nostrum Jesum Christum renatus, et hæres factus æternæ salutis, in servitio tuo permaneat, et promissa tua consequatur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, et nunc et per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde Sacerdos quærat infantis nomen: quo per Patrinos et Matrinas prolato, dicat Minister:

ABRENUNTIAS, in nomine hujus infantis, diabolo et omnibus ejus operibus, inani pompæ et gloriæ hujus mundi, et omnibus ejus cupiditatibus, cum carnis concupiscentiis, adeo ut eas sequi vel ab eis duci te non sis permissurus?

Resp. Abrenuntio eis omnibus.

Minister. Credis in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ?

Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum? Eumque conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine; passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum: descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse: ascendisse ad cœlos, et sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; et inde venturum esse in fine sæculi, judicare vivos et mortuos?

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?

Resp. Hæc omnia firmissime credo.

Minister. Servabis igitur obedienter Dei sanctam voluntatem et mandata, et in eis ambulabis omnibus diebus vitæ tuæ?

Resp. Hoc faciam.

Deinde dicat Sacerdos,

ACCIPIMUS hunc infantem in societatem gregis Christi, eumque signo Crucis signamus * in signum quod posthac non erubescet Christi crucifixi fidem confiteri, et sub ejus vexillo contra peccatum, mundum, et diabolum, viriliter pugnare, et Christi fidelis miles et servus ad vitæ suæ finem permanere. Amen.

* Hic Sacerdos in fronte Infantes crucem faciet.

Deinde dicat Sacerdos,

QUANDOQUIDEM nunc, fratres dilectissimi hic

infans per Baptismum est regeneratus, et in Christi Ecclesiæ corpus insitus, agamus gratias Deo Omnipotenti pro his beneficiis, et uno animorum consensu ei supplicemus, ut reliquam vitam suam secundum hoc initium peragat.

Deinde dicat Sacerdos,

GRATIAS ex animo tibi agimus, Pater misericors, quia hunc infantem Spiritu Sancto tuo regenerare, in filium tuæ adoptionis suscipere, et in sanctæ Ecclesiæ tuæ incorporare dignatus es. Et supplices te rogamus, ut iste mortuus peccato, justitiæ vivens, et cum Christo in mortem ejus consepultus, veterem hominem crucifigat, et totum corpus peccati destruat; et ut, quemadmodum Filii tui mortis factus est particeps, ita etiam fiat resurrectionis; quatenus tandem cum reliqua sancta Ecclesia tua, sempiternum regnum tuum hæreditate percipiat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde, omnibus sese erigentibus, Minister Patrinos et Matrinas verbis sequentibus adhortetur.

QUONIAM hic Infans per vos sponsores suos promisit, se diabolo et omnibus ejus operibus abrenuntiaturum, crediturum in Deum, et serviturum ei; recordandum est vobis, vestrum esse officium huic infanti ita consulere, ut (cum primum pro ejus ætate fieri possit) discat quam solenni voto et promisso se per vos obstrinxerit. Quod ut exactius intelligat, oportebit vos hortari eum ad conciones audiendas; et præcipue curare ut discat vulgari sermone Symbolum, Orationem Dominicam, et Decalogum, et cætera quæ Christianus homo pro salute animæ suæ et scire et credere debet; præterea, ut hic infans honeste educetur ad vitam pie et Christiane degendam: dum illud semper recordetur, nobis in Baptismo professionem nostram significari; quæ quidem nihil aliud est, quam ut Christi Salvatoris nostri exemplum sequamur, et ejus similes fiamus: quatenus, sicut ille pro nobis mortuus est et resurrexit, ita nos qui baptizati sumus peccato moriamur, et justitiæ resurgamus, semper mortificantes omnem nostræ affectum pravitatis, et quotidie proficientes in omni virtute et pietate.

Si autem ii qui infantem ad Ecclesiam adduxerint Sacerdotis quæstionibus responsa tam incerta dederint, ut non constet infantem aqua baptizatum fuisse, **In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti** (quæ sunt partes Baptismi essentiales), Sacerdos eum baptizet sub forma Baptismi Publici parvulorum supra præscripta; nisi quod, dum Infantem

in Fontem immergat, hæc verba proferat,

SI nondum baptizatus es, N. Ego te baptizo In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ordo Baptismi Adultorum,

QUI PRO SEIPSIS SPONDERE POSSUNT.

Cum adulti baptizandi sunt, parentes eorum, aut aliæ prudentes personæ, id Episcopo, aut cuidam ab eo ad hanc rem deputato, saltem ante septimum diem indicent; quo accuratior examinatio fiat, utrum religionis Christianæ rudimentis satis fuerint imbuti; et admoneantur ipsi ut precibus et jejuniis ad hoc sanctum Sacramentum accipiendum se præparent.

Qui si satis parati visi fuerint, adsint Patrini et Matrinæ (congregato populo in Dominica seu Festo ad id designato) ut eos ad Fontem sistant, statim post secundam Lectionem, sive ad Matutinas sive ad Vesperas, prout Parocho placuerit.

Adstantes autem Sacerdos interroget, utrum ex illis ibi præsentibus ulli baptizati fuerint, necne. Quod si negaverint, dicat Sacerdos:

DILECTISSIMI, quoniam omnes homines in peccato concipiuntur et nascuntur (et quod natum est ex carne caro est), et qui in carne sunt Deo placere non possunt, sed in peccatis vivunt, et multas actuales prævaricationes admittunt; et Salvator noster Christus dicit, Nemo potest introire in regnum Dei, nisi regeneratus fuerit, et renatus ex aqua et Spiritu Sancto; obsecro vos ut invocetis Deum Patrem, per Dominum nostrum Jesum Christum, ut pro largitate misericordiæ suæ istis id concedat quod ex natura habere nequeunt: scilicet, ut aqua et Spiritu Sancto baptizentur, et in sanctam Ecclesiam Christi admittantur, et ejusdem viva membra fiant.

Deinde dicat Sacerdos,

Oremus.

(Et hic totus Populus genua flectat.)

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui pro magna

misericordia tua Noe et familiam ejus in arca conservasti, ne in aquis perirent; et filios Israel, populum tuum, in spe per Mare Rubrum deduxisti, eo figurans sacrosanctum tuum Baptismum; et per Baptismum in fluvio Jordane dilectissimi Filii tui Jesu Christi, aquæ elementum in mysticam peccati ablutionem sanctificasti: Rogamus te per infinitas misericordias tuas, ut istos famulos tuos benignus respicias, et Spiritu Sancto laves et sanctifices; quatenus ab ira tua liberati, in arcam Ecclesiæ Christi admittantur; et fide constantes, spe læti, charitate radicati, hujusce mundi inquieti fluctus ita transeant, ut ad patriam vitæ sempiternæ tandem perveniant, ibi tecum regnaturi in sæcula sæculorum. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, vita credentium, et resurrectio mortuorum: Te invocamus pro istis, ut ad sanctum tuum Baptismum accedentes, remissionem peccatorum spirituali regeneratione consequantur. Accipe eos, Domine, sicut per dilectum Filium pollicitus es, dicens, Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Ita nunc nobis petentibus quod petimus concede; liceat nobis quod quærimus invenire; nobis januam pande pulsantibus; ut isti, æternum cœlestis lavacri tui beneficium consecuti, sempiterna regna per Christum Dominum nostrum promissa percipiant. *Amen.*

Deinde, populo se erigente, dicat Sacerdos,

Audite verba Evangelii per Sanctum Joannem scripta, in capite decimo, ad versum primum.

ERAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei; Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus; Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et nasci? Respondit Jesus; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex Spiritu.

Postea hanc Exhortationem recitet.

AUDISTIS, dilectissimi, in hoc Evangelio Christum Salvatorem diserte affirmantem, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non possit introire in regnum Dei. Et per hoc intelligere potestis, quam necessarium sit, modo obtineri possit, hoc Sacramentum. Simili modo, cum jam in cœlos ascensurus erat, (sicut in ultimo Evangelii Sancti Marci capite legimus,) discipulis suis præcepit, dicens, Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Quod etiam nobis magnum ostendit quo per Baptismum fruimur beneficium. Quamobrem Sanctus Petrus Apostolus, cum post ejus primam Evangelii prædicationem, multi compuncti sunt corde, et dixerunt ad eum et ad reliquos Apostolos, Quid faciemus, viri fratres? respondit et ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens; Salvamini a generatione ista prava. Nam (sicut idem Apostolus alio loco testatur) et nos nunc salvos facit Baptisma, (non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum,) per resurrectionem Jesu Christi. Ne dubitetis igitur, verum firmiter credite, eum istos qui adsunt, vere pœnitentes, et ad se per fidem accedentes, benigne accepturum esse, remissionem peccatorum eis concessurum, et Spiritum Sanctum largiturum; immo beneficium vitæ æternæ, et regni sui sempiterni communionem, eis collaturum. Quamobrem nos per hoc certiores facti illius benignitatis, quam Pater noster cœlestis erga istos per Jesum Christum Filium suum declaravit, gratias ei pie ac fideliter referamus, dicentes,

OMNIPOTENS æterne Deus, Pater cœlestis, gratias tibi suppliciter agimus, quod ad gratiæ tuæ agnitionem, et ad fidem erga te, nos vocare dignatus es. Hanc agnitionem, quæsumus, in nobis adauge, hanc fidem in perpetuum confirma. Da istis Spiritum Sanctum tuum, quo regenerentur, et hæredes fiant æternæ salutis. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, nunc et per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde Sacerdos baptizandos ita alloquatur:

DILECTISSIMI, qui huc ideo advenistis ut sanctum Baptismum accipiatis, audivistis congregationem exorantem ut Dominus noster Jesus Christus vos accipere et benedicere, a peccatis vestris absolvere, et vobis regnum cœlorum et vitam sempiternam concedere dignetur. Audivistis præterea Dominum nostrum Jesum Christum in verbo suo sancto promisisse, se hæc omnia quæ rogastis concessurum; quam promissionem ipse pro parte sua certissime præstabit. Quamobrem hac promissione a Christo facta, vos etiam oportet pro parte vestra, coram hisce testibus vestris et hac tota congregatione, spondere vos diabolo et omnibus ejus operibus abrenuntiaturos, verbo Dei sancto constanter credituros, et mandata ejus obedienter servaturos.

Deinde Sacerdos singulis baptizandis has sequentes quæstiones proponat.

ABRENUNTIAS diabolo et omnibus ejus operibus, inani pompæ et gloriæ mundi, et omnibus ejus cupiditatibus, cum carnis concupiscentiis, adeo ut eas sequi, vel ab eis duci, te non sis permissurus?

Resp. Abrenuntio illis omnibus.

Qu. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ?

Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum Dominum nostrum? Eumque conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum; descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse; ascendisse ad cœlos, et sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, et inde venturum esse in fine sæculi, judicare vivos et mortuos?

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?

Resp. Hæc omnia firmissime credo.

Qu. Vis baptizari in hac fide?

Resp. Volo.

Qu. Servabis igitur obedienter sanctam Dei voluntatem et mandata, et in iis ambulabis omnibus diebus vitæ tuæ?

Resp. Hoc ut faciam, Deo adjuvante, operam dabo.

Deinde dicat Sacerdos,

CONCEDE, misericors Deus, ut vetus Adam in istis ita sepeliatur, ut in eis novus resurgat. *Amen.*

Concede ut in eis moriatur omne quod carnis est, vivat et crescat omne quod Spiritus. *Amen.*

: ut potestatem et
nt vincendi, ac tri-
de diabolo, mundo,
Amen.
: ut isti, per minis-
officium tibi conse-
stibus etiam virtuti-
ur, et æterna præmia
tur, per misericor-
, Domine Deus, qui
tus, et vivis, et omnia
omnia sæcula sæcu-
men.

IPOTENS sempi-
e Deus, cujus Filius
ius Jesus Christus, in
m peccatorum nos-
latere suo pretiosis-
iam et sanguinem pro-
iscipulis suis jussit ut
erent omnes gentes,
s eos In Nomine Pa-
ii, et Spiritus Sancti:
uæsumus, populi tui
ones; hanc aquam in
peccati ablutionem
; et tribue ut isti nunc
izandi tuæ gratiæ ple-
consequantur, et in
liorum tuorum fide-
lectorum semper per-
Per Jesum Christum
nostrum. *Amen.*

cerdos unius cujusque
di dexteram appre-
et eum juxta Fontem
o convenientius sibi
uerit statuens, Patri-
Matrinas nomen ejus
et; et postea eum in
immergat, aut super
uam fundat, dicens,

N. Ego te baptizo In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat Sacerdos,

ACCIPIMUS istum in societatem gregis Christi, eumque Crucis signo* signamus, in signum quod posthac non erubescet Christi crucifixi fidem confiteri, et sub ejus vexillo contra peccatum, mundum, et diabolum viriliter pugnare, et Christi fidelis miles et servus ad vitæ suæ finem permanere. Amen.

* Hic Sacerdos in fronte baptizati Crucem faciet.

Deinde dicat Sacerdos,

QUANDOQUIDEM nunc, fratres dilectissimi, isti regenerati sunt, et in Christi Ecclesiæ corpus insiti, agamus gratias Deo Omnipotenti pro his beneficiis, et uno animorum consensu ei supplicemus, ut reliquam vitam suam secundum hoc initium peragant.

Deinde dicatur, omnibus genuflexis, Oratio Dominica.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

GRATIAS suppliciter tibi agimus, Pater cœlestis, quod ad gratiæ tuæ agnitionem, et ad fidem erga te, nos vocare dignatus es. Hanc agnitionem, quæsumus, in nobis adauge, hanc fidem in perpetuum confirma. Da istis Spiritum Sanctum tuum; ut nunc per Dominum nostrum Jesum Christum renati, et æternæ salutis hæredes facti, in servitio tuo permaneant, et promissa tua consequantur. Per eundem Dominum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde omnibus sese erigentibus, Sacerdos hanc Exhortationem proferat, Patrinos et Matrinas primum alloquens.

QUONIAM isti coram vobis promiserunt, se diabolo et omnibus ejus operibus abrenuntiaturos, credituros in Deum, et servituros ei: recordandum est vobis, vestrum esse officium eos admonere de solenni voto et promisso quibus coram populo hic congregato, et præcipue coram vobis, testibus suis delectis, jam se obstrinxerint. Necnon vos oportet eos hortari ut summa diligentia se curent sancto Dei verbo erudiendos; quatenus crescant in gratia et in cognitione Domini nostri Jesu Christi, et sobrie, juste, et pie vivant in hoc sæculo.

Deinde ad recentes ba
sermonem suum con
pergat;

**VOS etiam, qui n
Baptismum Chri
duistis, ex officio deb
et lucis filii per fidem i
Christum facti, secundı
tionem vestram Chri
et sicut decet filios lu
bulare; hoc illud recc
nobis in Baptismo prof
nostram significari; q
dem nihil aliud est,
Christi Salvatoris ex
sequamur, et ejus sin
mus: quatenus sicut
nobis mortuus est et re
ita nos qui baptizati
peccato moriamur, et
resurgamus; semper
cantes omnem nostræ
pravitatis, et quotidie p
tes in omni virtute et p**

Conveniens est, unum
hoc modo baptiza
Episcopo, cum pri
fieri possit, confirma
tenus ad sacram Co
nem admittatur.

Si aliqui in infantia
baptizati antea b
offerantur quam ad
intelligentiæ perve
qua pro seipsis vale
dere; satis sit Pub
modo maxime peri
Privati Infantium
ordinem usurpare; d
pro verbo *Infans*
puer vel *persona*, pr
sio postulet, substit

Catechismus,

SIVE

FORMA DOCTRINÆ AB UNOQUOQUE EDISCENDA, PRIUSQUAM AD EPISCOPUM CONFIRMANDUS ADDUCATUR.

Quæst. Quid est tibi nomen?

Resp. N. vel M.

Qu. Quis tibi dedit hoc nomen?

Resp. Patrini mei et Matrinæ in Baptismo meo, in quo factus sum membrum Christi, filius Dei, et hæres regni cœlorum.

Qu. Quid tunc pro te fecerunt Patrini et Matrinæ?

Resp. Tria in meo nomine promiserunt et voverunt. Primum, me diabolo et omnibus ejus operibus, pompæ et vanitati hujusce mundi pravi, et omnibus malis carnis concupiscentiis abrenuntiaturum. Secundo, me omnes fidei Christianæ articulos crediturum. Tertio, me sanctam Dei voluntatem et mandata servaturum, et in iis ambulaturum omnibus diebus vitæ meæ.

Qu. Nonne putas te debere ea credere et facere, quæ ipsi tuo nomine promiserunt?

Resp. Ita certe; atque id, Deo adjüvante, faciam. Et gratias ago ex animo Patri nostro cœlesti, quod me ad hunc salutis statum per Jesum Christum Salvatorem nostrum vocavit: Deumque precor ut gratiam suam mihi largiatur, quatenus in eodem usque ad finem vitæ meæ perseverem.

Catechista. Recita articulos fidei tuæ.

Resp. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ:

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, Qui conceptus est de Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine, Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, et sepultus; Descendit ad inferos, Tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad cœlos, Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; Inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, et Vitam æternam. Amen.

Qu. Quid præcipue discis ex his articulis Fidei tuæ?

Resp. Primum, disco credere in Deum Patrem, qui me et totum mundum creavit.

Secundo, in Deum Filium, qui me et totum genus humanum redemit.

Tertio, in Deum Spiritum Sanctum, qui me et totum Dei populum electum sanctificat.

Qu. Dixisti quod pro te Patrini et Matrinæ spoponderunt, te Dei mandata esse servaturum. Dic quot sunt ea?

Resp. Decem.

Qu. Quæ sunt ea?

Resp. Ea ipsa quæ Deus in capite Exodi vicesimo protulit, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.

I. Non habebis Deos alienos coram me.

II. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

III. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

IV. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbatum Domini Dei est. Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt: et requievit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.

V. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

VI. Non occides.

VII. Non mœchaberis.

VIII. Non furtum facies.

IX. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

X. Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus; non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Qu. Quid potissimum ex his mandatis discis?

Resp. Duo: scilicet et officium meum erga Deum, et officium meum erga proximum.

Qu. Quodnam est officium tuum erga Deum?

Resp. Officium meum erga Deum est ut in ipsum credam, ipsum timeam, ipsum ex toto corde meo, tota mente, tota anima, tota virtute diligam; ipsum adorem, ipsi gratias agam, in ipso penitus confidam, eum invocem, sanctum ipsius Nomen et Verbum venerer, et

ipsi fideliter serviam omnibus diebus vitæ meæ.

Qu. Quodnam est officium tuum erga proximum?

Resp. Officium meum erga proximum est ut eum sicut meipsum diligam, et quæcunque velim ut faciant mihi homines, et ipse faciam illis; patrem et matrem diligam, observem, adjuvem; Reginæ et omnibus sub ea in auctoritate constitutis omni observantia obediam: omnibus gubernatoribus, præceptoribus, pastoribus spiritualibus, et magistris me subjiciam; erga omnes superiores modeste et humiliter me geram; neminem verbo aut facto lædam; in omnibus negotiis justum et fidelem me præstem; nihil odii, nihil malitiæ, in corde geram; manus a furto, linguam a maledicentia, mendacio, et calumnia contineam; corpus meum in temperantia, sobrietate, et castitate custodiam; aliorum bona non concupiscam nec desiderem; sed discam et bona fide studeam, mihi proprium victum comparare, et meo officio fungi in eo vitæ statu in quem Deus me vocare dignatus est.

Catechista. Scias, mi puer, te non posse hæc vi propria facere, nec in Dei mandatis ambulare, nec ei servire, sine speciali ejus gratia, quam necesse est discas diligenti oratione semper impetrare. Velim igitur audire utrum Orationem Dominicam recitare possis.

Resp. Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Qu. Quid petis a Deo in hac oratione?

Resp. Peto ut Dominus Deus meus, Pater noster cœlestis, omnium bonorum dator, et mihi et omnibus hominibus gratiam suam infundat, qua, sicut nos oportet, eum adoremus, eique serviamus et obediamus. Et precor Deum ut omnia concedat tam animis quam corporibus nostris necessaria; ut nobis misereatur, et peccata nostra dimittat; ut inter omnia pericula corporalia et spiritualia nos servare et defendere dignetur: ut ab omni peccato et pravitate, ab inimico spirituali, a morte perpetua, nos custodiat. Quæ omnia confido ipsum pro misericordia ejus et bonitate facturum, per Jesum Christum Dominum nostrum; ideoque dico, Amen, Ita fiat.

Qu. Quot Sacramenta in Ecclesia sua Christus instituit?

Resp. Duo tantum velut ad salutem generaliter necessaria; Baptismum, et Cœnam Dominicam.

Qu. Quid intelligis per vocem istam Sacramentum?

Resp. Intelligo signum externum et visibile gratiæ inter-

næ et spiritualis nobis collatæ, a Christo ipso institutum, tanquam instrumentum per quod eam accipimus, et pignus quod eam nobis confirmet.

Qu Quot partes sunt Sacramenti?

Resp. Duæ; signum externum et visibile, et gratia interna et spiritualis.

Qu. Quodnam est signum externum sive forma in Baptismo?

Resp. Aqua, qua quis baptizatur, In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Qu. Quænam est gratia interna et spiritualis?

Resp. Mori peccato, et justitiæ renasci; cum enim naturaliter simus in peccato nati, et iræ filii, per Baptismum gratiæ filii facti sumus.

Qu. Quid a baptizandis exigitur?

Resp. Pœnitentia, qua peccatum derelinquunt; et Fides, qua Dei promissa in illo Sacramento sibi facta firmiter credunt.

Qu. Quare ergo baptizantur infantes, qui pro tenera ætate sua hæc præstare nequeunt?

Resp. Quia utrumque per sponsores suos promittunt: quam quidem promissionem ipsi, cum adoleverint, debent exsolvere.

Qu. Quam ob causam institutum est Cœnæ Dominicæ Sacramentum?

Resp. In perpetuam commemorationem Sacrificii mortis Christi, et beneficiorum quæ inde percipimus.

Qu. Quænam est in Cœna Dominica pars externa sive signum?

Resp. Panis et Vinum, quæ Dominus accipi jussit.

Qu. Quænam est interna pars, sive res significata?

Resp. Corpus et Sanguis Christi, quæ a fidelibus in Cœna Dominica vere èt reipsa sumuntur et percipiuntur.

Qu. Quænam sunt beneficia quorum per hoc sumus participes?

Resp. Animarum nostrarum corroboratio et refectio per Corpus et Sanguinem Christi, sicut corpora nostra per Panem et Vinum corroborantur et reficiuntur.

Qu. Quid ab iis, qui ad Cœnam Dominicam accedunt, exigitur?

Resp. Ut probent seipsos, utrum se peccatorum præteritorum vere pœniteat, novam vitam degere firmiter statuentes; utrum Dei misericordiæ per Christum collatæ vivam fidem habeant, et Christi mortem grato animo recolant; denique, utrum ad omnes habeant charitatem.

Quisque Parochus, in Dominicis et Festis, post secundam ad Vesperas Lectionem, palam in Ecclesia pueros ad suam parochiam pertinentes et ad se missos, quot sibi visum fuerit, in aliqua hujus Catechismi parte diligenter instituat et examinet.

Omnes autem Patres, Matres, Heri, et Heræ, auctores sint ut pueri, famuli, et discipuli sui (qui Catechismum non addidicerunt), ad Ecclesiam tempore constituto veniant, diligenter auscultent, et a Parocho gubernentur, donec omnia addidicerint quæ hic eis addiscenda proponuntur.

Cum primum pueri ad ætatem convenientem accesserint, et Symbolum, Orationem Dominicam, et Decalogum lingua materna memoriter recitare, et insuper cæteris hujusce brevis Catechismi quæstionibus respondere possint, ad Episcopum adducantur. Et unicuique adsit Patrinus vel Matrina, quasi testis confirmationis.

Et quotiescunque Episcopus indicium dederit de pueris ad se adducendis ad confirmentur, quisque Parochus aut ipse afferat, aut scripta et manu sua firmata mittat nomina omnium in sua parochia habitantium, quos idoneos judicaverit qui ad Episcopum confirmandi adducantur. Quos Episcopus, si approbaverit, modo sequenti confirmet.

Ordo Confirmationis,

SIVE IMPOSITIONIS MANUUM SUPER BAPTIZATOS QUI AD ÆTATEM INTELLIGENTIÆ ACCESSERUNT.

Die constituto, omnibus tunc confirmandis coram Episcopo per ordinem dispositis et stantibus, ipse (aut alius Minister ab eo designatus) hanc sequentem legat Præfationem.

QUO Confirmatio ad majorem confirmandorum ædificationem ministretur, placuit Ecclesiæ præcipere, ne quis posthac confirmetur, nisi qui Symbolum, Orationem Dominicam, et Decalogum memoriter recitare, et cæteris etiam quæstionibus, quæ in brevi Catechismo continentur, respondere possit. Quod quidem præceptum observari maxime convenit: quatenus pueri, jam ad ætatem intelligentiæ provecti, et de sponsionibus pro se in Baptismo per Patrinos et Matrinas factis satis edocti, eas ipsi suo ore et assensu coram Ecclesia palam sanciant et confirment; necnon promittant se Dei gratia eis observandis semper operam daturos, quibus propria affirmatione consensum præbuerint.

Deinde dicat Episcopus,

AN vos hic, in præsentia Dei et istius congregationis, solenne illud votum et promissum pro vobis in Baptismo factum renovatis, in propriis personis id sancientes et confirmantes, et profitentes vosmet ipsos debere ea omnia tam credere quam agere, de quibus Patrini et Matrinæ tunc vestro nomine se obligarunt?

Et unusquisque clara voce respondeat,

Ita sane.

Episcopus.

ADJUTORIUM nostrum in nomine Domini.

Resp. **Qui fecit cœlum et terram.**

Episcopus. **Sit nomen Domini benedictum.**

Resp. **Ex hoc nunc et usque in sæculum.**

Episcopus. **Domine, exaudi orationem nostram.**

Resp. **Et clamor noster ad te veniat.**

Episcopus. **Oremus.**

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum: Confirma eos, quæsumus, Domine, Sancto Spiritu Paraclito, et in eos quotidie adauge multiplicia dona gratiæ tuæ; spiritum sapientiæ et intellectus; spiritum consilii et fortitudinis spiritualis; spiritum scientiæ et veræ pietatis; et imple eos, Domine, spiritu sancti timoris tui, nunc et in sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde, omnibus illis per ordinem coram Episcopo genua flectentibus, super caput uniuscujusque singillatim ipse manum imponat, dicens:

PROTEGE, Domine, hunc puerum tuum (vel hunc famulum tuum) cœlesti gratia tua, ut tuus in perpetuum permaneat, et in Spiritu Sancto tuo quotidie magis magisque proficiat, donec ad regnum tuum perveniat sempiternum. Amen.

Deinde dicat Episcopus,

Dominus vobiscum.

Resp. **Et cum spiritu tuo.**

Deinde omnibus genuflexis, pergat Episcopus, dicens:

Oremus.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Et hanc Orationem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui operaris

in nobis et velle et perficere quæ bona sunt et Divinæ Majestati tuæ accepta; Tibi preces suppliciter effundimus propter hos famulos tuos, quibus secundum Apostolorum sanctorum tuorum exemplum manus jam imposuimus, ut tui in eos favoris et benignitatis fiduciam hoc signo eis faceremus. Sit semper super eos, quæsumus, manus tua paterna; sit semper cum eis Spiritus tuus Sanctus; et eos in verbi tui agnitione et observantia ita perducas, ut vitam æternam in fine consequantur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ***Amen.***

DIRIGERE et sanctificare et regere dignare, Domine Deus omnipotens et æterne, quæsumus, corda et corpora nostra, in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum; ut hic et in æternum, te auxiliante, sani et salvi esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum. ***Amen.***

Deinde Episcopus benedicat eos, dicens,

BENEDICTIO Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. ***Amen.***

Item, nullus ad sacram Communionem debet admitti, nisi confirmatus fuerit, aut confirmari paratus sit, et velit.

Ritus Celebrandi Matrimonium.

Primum, denuntiationes de omnibus in Matrimonio conjungendis fiant in Ecclesia tribus Dominicis, aut Festis, in tempore Officii Divini, immediate ante Sententias ad Offertorium dicendis; Parocho more solito dicente,

FACIO denuntiationem Matrimonii inter M. de —— et N. de —— contrahendi. Si quis vestrum noverit causam aut justum impedimentum, propter quod isti sacrum Matrimonium contrahere non possint, id indicare debetis. Hæc est prima (secunda, aut tertia) interrogatio.

Et si personæ conjungendæ in diversis Parochiis habitent, in utraque fiant denuntiationes: et alter Parochus inter eos Matrimonium non celebret, nisi denuntiationum ter factarum fidem scriptam ab altero acceperit.

Die et tempore ad Matrimonium celebrandum constituto, personæ conjungendæ in Ecclesiam cum amicis et vicinis adveniant; et ibi una stantibus illis, viro a dextris, et muliere a sinistris, dicat Sacerdos,

DILECTISSIMI, convenimus huc coram Deo, et in facie populi hic congregati, ad conjungendum hunc virum et hanc mulierem in sacro Matrimonio; quod quidem honestus est vitæ status, a Deo in tempore innocentiæ hominis institutus, et mysterium conjunctionis Christi cum Ecclesia nobis significat. Quem sacrum statum, a Christo propria præsentia et initio signorum in Cana Galilææ ornatum et decoratum, et a beato Paulo tanquam honorabilem in omnibus commendatum, homines decet ingredi et suscipere non temere, leviter, vel petulanter, propter explendam carnalem libidinem, more brutorum quæ ratione carent, sed reverenter, prudenter, consulto, sobrie, et in timore Dei; ratione, uti par est, prius habita causarum ob quas institutum est Matrimonium.

Primo, institutum est ad procreandos liberos, in timore et disciplina Domini, et ad laudem sancti Nominis ejus, educandos.

Secundo, in remedium contra peccatum, et ad vitandam fornicationem; ut qui donum continentiæ non habeant matrimonium contrahant, et sese ut

ɔrporis membra illi-
odiant.
ın mutuam societatem
et solatium, quæ alter
ꞩstare debet, tam in
rebus quam in ad-

in sacrum statum ut
ıtur, istæ personæ
unt. Igitur, si quis
ısam indicare possit,
legitime conjungi non
aut modo eloquatur,
ac in perpetuum de

personas conjungen-
sic alloquatur :

ɪbeo et admoneo, qui-
s in tremendo die ju-
ı secreta omnium cor-
elabuntur, ratio red-
t, ut si alter vestri
overit impedimentum
.trimonium inter vos
ꞩontrahendum prohi-
lo confiteatur. Illud
certo habere debetis,
i aliter quam per Dei
ɔncessum est conjun-
n a Deo conjungi, et
ı eorum non legiti-
.

Matrimonii, si quis
nentum aliquod pro-
et affirmare voluerit,
s in Matrimonio se-
Dei Legem, et leges
regni, conjungendis
: se cum competenti-
jussoribus vadem eis
lucrit, aut saltem ad
lum quod proposu-
erit eam cautionem præsti-
terit, quæ quod impensæ in
rem per conjungendos factum
fuerit effecerit, tum differa-
tur Matrimonii celebratio,
quousque rei veritas cognos-
catur.

Si nullum impedimentum pro-
positum fuerit, dicat Paro-
chus ad virum,

N. VIS habere hanc mulierem in tuam legitimam uxorem, ut cum ea vivas juxta Dei institutum in sacro statu Matrimonii? Vis eam diligere, consolari, honorare, et custodire sanam et infirmam, omnes alias dimittere, eti illi soli adhærere, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondeat vir, **Volo.**

Item Sacerdos ad mulierem dicat,

N. VIS habere hunc virum in tuum legitimum maritum, ut cum eo vivas juxta Dei institutum in sacro statu Matrimonii? Vis ei obedire et servire, eum diligere, honorare, ac custodire sanum et infirmum, omnes alios dimittere, et illi soli adhærere, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondeat mulier, **Volo.**

Tunc Minister dicat.

Quis dat hanc mulierem huic viro conjungendam?

Tunc hoc modo alter alteri det fidem.

Minister, accipiens mulierem a manu patris aut amici, curet ut vir dextera sua mulierem per ejus dexteram teneat, ita dicens, docente Ministro,

EGO N. accipio te N. in legitimam uxorem meam, ut te ab hoc die habeam et teneam, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive sanam sive infirmam, ut te diligam et foveam, donec mors nos separaverit, juxta sacrum Dei institutum: et ad hoc do tibi fidem.

Deinde, manibus retractis, mulier dextera sua virum per dexteram ejus teneat, et, docente Ministro, similiter dicat,

EGO N. accipio te N. in legitimum maritum meum, ut te ab hoc die habeam et teneam, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive sanum sive infirmum, ut te diligam et foveam, et tibi obediam, donec mors nos separaverit, juxta sacrum Dei institutum: et ad hoc do tibi fidem.

Deinde, manibus iterum retractis, vir mulieri annulum det, ponens eum super librum cum pecunia Sacerdoti et Clerico debita. Quem annulum Sacerdos accipiens tradat viro, quarto digito sinistræ manus mulieris inserendum. Vir autem, ibi tenens annulum, docente Sacerdote dicat,

HOC annulo te u duco, corpore r honoro, et omnibus bon temporalibus te doto: mine Patris, et Filii, et tus Sancti. Amen.

Deinde cum vir annul quarto digito sinistræ mulieris dimiserit, genua flectant, et M dicat,

Oremus.

ÆTERNE Deus, (et conservator l generis, dator gratiæ spir largitor æternæ vitæ: benedictionem tuam sup virum et hanc mulierem, lum tuum et ancillam quos in tuo Nomine be mus: ut sicut Isaac et R fideliter una vixerunt, personæ certo præstent vent votum et conven inter sese mutuo factam hic annulus datus et a signum est et pignus; perpetua dilectione et pa maneant, et juxta leg vivant. Per Jesum Cl Dominum nostrum. *A*

Tunc Sacerdos, jungens dexteras, dicat,

Quos Deus conjunxit non disjungat.

Deinde Minister popul loquatur:

CUM N. et N. cons in sacrum Matrim et hoc coram Deo et h gregatione testati sint

hoc fidem alter alteri dederit, et annulo dato et accepto et manibus conjunctis declaraverint: pronuntio eos maritum et uxorem esse, In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Et Minister addat hanc benedictionem.

DEUS Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, vos benedicat, conservet, et custodiat. Dominus suo favore vos misericors respiciat, et ita vos impleat omni benedictione spirituali et gratia, ut sic una in hac præsenti vita vivere possitis, ut in futuro sæculo habeatis vitam æternam. *Amen.*

Deinde Minister aut Clerici, inter eundum ad Mensam Domini, hunc Psalmum sequentem dicant aut cantent.

Psalmus cxxviii.

BEATI omnes, qui timent Dominum : qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans : in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum : in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo : qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : pacem super Israel.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Sive hunc Psalmum.

Psalmus lxvii.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Finito Psalmo, viro et muliere ante Mensam Domini genuflexis, Sacerdos, ad Mensam stans, et faciem suam ad eos vertens, dicat,

Kyrie eleison.

Resp. **Christe eleison.**

Minister. **Kyrie eleison.**

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Minister. Salvos fac servum tuum et ancillam tuam.

Resp. Domine, sperantes in te.

Minister. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

Resp. Et semper tuere eos.

Minister. Esto eis turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Minister. Domine, exaudi orationem nostram.

Resp. Et clamor noster ad te veniat.

Minister.

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, benedic famulos tuos, et semina semen vitæ æternæ in mentibus eorum; ut quicquid in verbo sancto tuo pro utilitate sua didicerint, hoc operando faciant. Respice eos, Domine, de cœlis benignus, et benedic eos. Et sicut misisti benedictionem tuam super Abraham et Saram, ad magnam eorum consolationem, ita digneris mittere benedictionem tuam super hos famulos tuos, ut tuæ voluntati inserviant, in tua securitate persistant, et in amore tuo usque ad vitæ finem permaneant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Sequens Oratio omittatur, si mulier annosior fuerit quam ut liberos pariat.

DOMINE misericors, Pater cœlestis, cujus benignitate genus humanum propagatur: Assiste, quæsumus, istis duobus benedictione tua, ut et in procreandis liberis fecundi sint, et ita in pia dilectione et charitate una perseverent, ut liberos in omni virtute Christiana educatos videant, ad laudem et honorem tuum. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

DEUS, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti; quique, dispositis universitatis exordiis, de viro ad imaginem tuam facto fœminæ principium dedisti; in quibus conjungendis docuisti, nunquam liciturum esse disjungi eos, quos tu Matrimonio fecisti esse unum: Deus, qui tam excellenti mysterio Matrimonii statum consecrasti, ut spirituale Christi et Ecclesiæ conjugium significares in fœdere nuptiarum: Respice propitius super hos famulos tuos, ut et hic vir uxorem suam diligat, secundum verbum tuum, (sicut Ecclesiam sponsam suam dilexit Christus, qui pro ea semetipsum tradidit, nutriens et fovens eam sicut carnem suam;) et hæc mulier sit amans et amabilis, sit fidelis et obediens marito suo, et in omni concordia, sobrietate, et

pace, imitatrix sanctarum permaneat matronarum. Benedic, Domine, et istum et istam, et da eis in cœlestis regni tui hæreditatem pervenire. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde dicat Sacerdos,

OMNIPOTENS Deus, qui primos parentes nostros Adam et Evam in principio creavit, et in sua sanctificatione copulavit: Gratiæ suæ divitias super vos effundat, vos sanctificet et benedicat, ut ei corpore pariter et mente complacere, atque in societate et amore sanctæ dilectionis usque ad finem vitæ permanere valeatis. *Amen.*

Postea, nisi Concio fiat de officiis viri et uxoris, Minister hæc sequentia perlegat.

VOS qui estis conjuges, aut qui sacrum Matrimonii statum assumere decrevistis, audite quid Sacra Scriptura dicat de officiis et virorum erga uxores, et uxorum erga viros.

Sanctus Paulus in capite quinto Epistolæ suæ ad Ephesios, hoc præceptum dat omnibus maritis: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea; ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta, et immaculata. Ita et viri debent diligere uxóres suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc, relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam, sicut seipsum, diligat.

Similiter idem Sanctus Paulus, scribens ad Colossenses, conjugatos omnes sic alloquitur: Viri, diligite uxores vestras; et nolite amari esse ad illas.

Audite etiam, quid maritis dicat Sanctus Petrus, Christi Apostolus, qui ipse maritus erat. Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ; ut non impediantur orationes vestræ.

Hactenus audivistis officium viri erga uxorem. Jam vos etiam, uxores, audite et discite officia vestra erga viros vestros, in Sacra Scriptura manifeste declarata.

Sanctus Paulus, in prædicta Epistola ad Ephesios, vos his verbis docet: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino:

quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corporis ejus. Sed, sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita et mulieres viris suis in omnibus. Et iterum dicit: Uxor autem timeat virum suum.

Et in Epistola ad Colossenses, his verbis breviter vos admonet Sanctus Paulus; Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.

Necnon Sanctus Petrus optime vos instituit, dicens: Similiter et mulieres subditæ sint viris suis; ut et siqui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris; sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ, benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.

Convenit sponsum et sponsam ipso tempore Matrimonii, aut quam primum post Matrimonium celebratum fieri possit, Sacram Communionem percipere.

Ordo ad Visitandum Infirmum.

Cum quis ægrotet, id Parocho est indicandum. Ipse autem, infirmi domum ingrediens, dicat;

PAX huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Ad infirmum accedens genuflexus dicat;

NE reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretioso sanguine tuo, et ne in æternum irascaris nobis.

Resp. **Parce nobis, Domine.**

Deinde dicat Minister,

Oremus.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Minister. **Salvum fac servum tuum.**

Resp. **Domine, sperantem in te.**

Minister. **Mitte ei auxilium de sancto.**

Resp. **Et semper tuere eum.**

Minister. **Nihil proficiat inimicus in eo.**

Resp. **Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.**

Minister. **Esto ei, Domine, turris fortitudinis.**

Resp. **A facie inimici.**

Minister. **Domine, exaudi orationem nostram.**

Resp. **Et clamor noster ad te veniat.**

Minister.

RESPICE, Domine, de cœlo, et vide et visita et refove hunc famulum tuum. Respice super eum oculis misericordiæ tuæ; da ei consolationem et fiduciam in te; protege eum ab insidiis inimici; et custodi eum in perpetua pace et salute. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

EXAUDI nos, omnipotens et misericors Deus et Salvator; prætende solitam bonitatem tuam super hunc famulum tuum, quem vexat infirmitas. Sit ei, quæsumus, hæc paterna tua correctio in sanctificationem; ut quo magis infirmitatem suam sentiat, et in fide sit firmior, et in pœnitentia sincerior; quatenus, si tibi beneplacitum fuerit sanitatem in

eo pristinam restituere, reliquam vitam in timore tuo et ad gloriam tuam peragat. Sin minus, da ei tuam visitationem ita suscipere, ut post hanc vitam dolorosam tecum in vita sempiterna habitet. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Minister infirmum in hanc vel similem formam adhortetur.

SCIAS, dilectissime, Deum Omnipotentem et vitæ et mortis, et omnium quæ ad eas pertinent, scilicet juventutis, roboris, salutis, senectutis, languoris, et infirmitatis, esse Dominum. Quare persuasum tibi sit, infirmitatem tuam, qualiscunque sit, Dei esse visitationem. Et quacunque de causa tibi immissa fuerit; sive ad probandam patientiam tuam, ut aliis exemplum præbeat, et fides tua in die Domini inveniatur laudabilis, gloriosa, honorabilis, in gloriæ et sempiternæ felicitatis augmentum; sive ad corrigendum in te quicquid Patri cœlesti tuo displiceat: illud persuasum tibi sit, quod si peccatorum vere tui pœnituerit, si infirmitatem patienter toleraveris, in Dei misericordia propter dilectissimum ejus Filium Jesum Christum promissa confidens, et si ei pro paterna ejus visitatione gratias humiliter egeris, voluntati ejus te totum subjiciens, tum eveniet tibi in bonum hæc infirmitas, et promovebit te in recta via quæ ducit ad vitam æternam.

Si is qui visitatur admodum ægrotus sit, liceat Parocho hic facere finem exhortationis; alioquin pergat.

ACCIPE igitur in bonam partem correctionem Domini. Nam, ut loquitur beatus Paulus in duodecimo capite ad Hebræos, Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate; tanquam filiis vobis offert se Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Hæc verba, bone frater, in sacra Scriptura scripta sunt ad nostram consolationem et eruditionem; ut Patris nostri cœlestis correptionem patienter et cum gratiarum actione sustineamus, quandocunque ei pro pia benignitate visum fuerit nos quibuslibet adversis visitare. Neque major consolatio Christianis esse debet, quam ut Christo similes fiant, adversa,

molestias, et infirmitates patienter tolerando. Ipse enim non prius in gaudium ascendit quam dolorem passus fuerit; nec antea quam crucifixus ingressus est in gloriam. Ita profecto nostra in gaudium sempiternum via est, hic pati cum Christo: et janua qua introeundum est in vitam æternam, libenter cum Christo mori; ut a morte resurgamus, et in vita sempiterna cum eo habitemus. Nunc igitur te adhortor, ut infirmitatem tuam, quæ hoc modo tibi prodest, patienter suscipiens, professionem illam, quam Deo in Baptismo tuo fecisti recorderis. Cum autem post hanc vitam reddenda sit ratio justo Judici, a quo necesse est omnes sine acceptione personarum judicentur, te adhortor ut teipsum et tuam quoad et Deum et homines conditionem inspicias; quatenus, cum teipsum propter peccata tua accusaveris et damnaveris, propter Christum a Patre nostro cœlesti misericordiam invenias, nec in tremendo illo judicio accuseris vel condemneris. Igitur, ut scias utrum quemadmodum Christianum decet revera credas, necne, recitabo ad te Articulos Fidei nostræ.

Hic recitet Minister Articulos Fidei, ita dicens,

CREDIS in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli et terræ?

Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum? Eumque conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine; passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum; descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse; ascendisse ad cœlos, et sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; et inde venturum esse in fine sæculi, judicare vivos et mortuos?

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?

Respondeat infirmus,

Hæc omnia firmissime credo.

Tunc examinet illum Minister, utrum peccatorum revera eum pœniteat, et utrum ad omnes charitatem habeat; adhortans eum ut omnibus quibus offensus fuerit ab imo pectore ignoscat; ut si alios quos libet ipse offenderit, ab eis veniam postulet; denique, ut si quem injuste læserit, ei quantum valeat satisfaciat. Et si non antea rem suam constituerit, moneatur ut testamentum suum faciat, et pecunias sibi debitas, aut quas ipse debeat, declaret: quo conscientia sua facilius sedetur, et securi sint testamenti exsecutores. Sæpius autem mo-

nendi sunt homines ut res suas temporales, dum bona valetudine sint, constituendas curent.

Verba illa supradicta ante orationes inceptas ad arbitrium Ministri dici possunt.

Non prætermittat Minister quin infirmos quibus sit facultas adhortetur, ut in pauperes beneficos se præstent.

Hic monendus est infirmus ut si conscientiam suam qualibet gravi re oneratam esse senserit, specialem peccatorum suorum Confessionem faciat. Qua peracta, Sacerdos eum, si id ex animo humiliter petat, hoc modo absolvat.

DOMINUS noster Jesus Christus, qui Ecclesiæ suæ tradidit potestatem absolvendi omnes peccatores vere pœnitentes et in se credentes, pro sua magna pietate omnia peccata tibi dimittat: Et ego, auctoritate ejusdem mihi tradita, absolvo te ab omnibus peccatis tuis, In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat Sacerdos hanc Orationem sequentem.

Oremus.

DEUS misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium ita deles, ut eorum non amplius reminiscaris: Respice misericors super hunc famulum tuum, sibi remissionem peccatorum suorum tota cordis contritione poscentem. Renova in eo, piissime Pater, quicquid diabolica fraude et malitia, aut carnali voluntate et propria fragilitate violatum est: in unitate corporis Ecclesiæ membrum infirmum conserva; vide contritionem ejus, respice lacrymas, mitiga dolorem, prout tibi visum fuerit ei maxime expedire. Et non habenti fiduciam nisi in tua misericordia noli præteritas imputare culpas, sed eum Spiritu Sancto tuo corrobora; et cum tibi placuerit eum ex hoc mundo evocare, in gratiam tuam advocare digneris. Per merita dilectissimi Filii tui, Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Deinde Minister hunc Psalmum recitet.

Ps. lxxi.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum: ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum: ut refugium meum es tu.

Deus meus, eripe me de manu peccatoris: et de manu contra legem agentis et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex

utero : de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper: tanquam prodigium factus sum multis; et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.

Dicentes, Deus dereliquit eum : persequimini, et comprehendite eum; quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo: et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam : tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Et usque in senectam et senium : Deus, ne derelinquas me:

Donec annuntiem brachium tuum : generationi omni quæ ventura est:

Potentiam tuam, et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi?

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Et hoc addat,

SALVATOR mundi, salva nos, qui per Crucem et pretiosum Sanguinem tuum redemisti nos : auxiliare nobis, te deprecamur, Domine.

Deinde dicat Minister,

DOMINUS Omnipotens, qui omnibus in se confidentibus turris est fortitudinis, et cui omnia cœlestia, terrestria, et inferna, humiliter obediunt, sit tibi nunc et in perpetuum protector; et det tibi cognoscere et sentire non aliud nomen esse sub cœlo datum hominibus, in quo et per quod sanitatem et salutem consequi possis, præter Nomen Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Et postea dicat,

BENIGNÆ Dei misericordiæ et tutelæ te committimus. Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem, nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro parvulo infirmo.

OMNIPOTENS Deus, Pater misericors, cuju solius sunt exitus vitæ et mortis: Respice, quæsumus, de cœlo, oculis misericordiæ super hunc puerum nunc jacentem in lecto ægritudinis. Visita eum, Domine, salute tua; libera eum, quando tibi visum fuerit, a corporali dolore ejus, et salvam fac animam ejus propter misericordiam tuam: ut si tibi placuerit vitam ei temporalem producere, tibi vivat, et tuæ gloriæ inserviat, tibi fideliter famulando et inter æquales bona faciendo. Sin aliter tibi visum fuerit, suscipe eum in cœlestia illa tabernacula, in quibus animæ eorum qui in Domino Jesu dormiunt sempiterna requie et felicitate perfruuntur. Hoc præsta, Domine, propter misericordias tuas, in eodem Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Oratio pro infirmo de cujus salute pæne desperatur.

PATER misericordiarum, et Deus totius consolationis, in quo solo nobis est auxilium opportunum: Ad te confugimus pro hoc famulo tuo, hic sub manu tua in magna infirmitate corporis jacentem. Respice eum, Domine, propitius; et quo magis is qui foris est *homo* corrumpatur, eo magis hominem qui intus est gratia tua et Spiritu Sancto, quæsumus, jugiter corrobora. Da ei veram pœnitentiam de omnibus vitæ præteritæ culpis, et fidem in Filio tuo Jesu constantem; ut peccata ejus misericordia tua deleantur, et indulgentia ei in cœlis confirmetur, priusquam abeat et amplius non sit. Scimus, Domine, quod non est impossibile apud te omne verbum; et quod si tibi ita placuerit, et nunc potes eum ad salutem erigere, et dare ei ut nobiscum diutius permaneat. Sed quia, quantum æstimare possumus, appropinquat tempus resolutionis ejus, ita eum, quæsumus, præpares ad horam mortis, ut anima ejus, postquam in pace et tua gratia discesserit, in regnum tuum sempiternum suscipiatur. Per merita Jesu Christi, Filii tui unici, Domini nostri Mediatoris et Salvatoris. *Amen.*

Commendatio animæ infirmi in articulo mortis.

OMNIPOTENS Deus, cum quo vivunt spiritus justorum perfectorum de hujus sæculi ergastulo liberati; In manus tui, tanquam fidelis Creatoris et misericordis Salvatoris, humiliter commendamus animam istius famuli tui, cari fratris nostri; te suppliciter deprecantes ut in conspectu tuo pretiosa sit. Lava eam, quæsumus, in sanguine Agni illius immaculati, qui occisus est ad tollenda peccata

mundi: ut elutis et deletis, si quas in miseria mundanæ pravitatis, ex carnali commercio, aut fallente diabolo, contraxit maculas, tibi pura et incontaminata præsentetur. Nos autem, qui supersumus, doceas per hæc et alia mortalitatis indicia intelligere quam incerta sit et fragilis nostra conditio: dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia, ut dum hic vivimus, in sancta illa et cœlesti sapientia omne studium collocemus, quæ nos ad vitam sempiternam denique perducat. Per merita Jesu Christi, Filii tui unici, Domini nostri. *Amen.*

Oratio pro eis quorum mens aut conscientia vexatur.

BENEDICTE Domine, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis; hunc famulum tuum, ægrimonia laborantem, ut pius et misericors respicias deprecamur. Scribis contra eum amaritudines, et consumere eum vis peccatis adolescentiæ ejus. Super eum confirmatus est furor tuus, et repleta est malis anima ejus. Sed, Deus misericors, qui sanctum verbum tuum ad nostram doctrinam scripsisti, ut per patientiam et consolationem sacrarum tuarum Scripturarum spem habeamus; da ei recte et seipsum noscere et minas promissionesque tuas intelligere, et nec confidentiam suam quæ in te est amittere, nec eandem in alio nisi in te collocare. Da ei virtutem contra omnes tentationes, et sana omnes languores ejus. Calamum quassatum noli conterere, aut linum fumigans extinguere. Ne contine in ira tua misericordias tuas; sed auditui ejus da gaudium et lætitiam, ut exsultent ossa humiliata. A timore inimici eripe animam ejus; converte vultum tuum ad eum, et da ei pacem. Per merita Jesu Christi Mediatoris et Domini nostri. *Amen.*

Communio Infirmorum.

Quoniam omnes mortales multis subitis periculis, morbis, et infirmitatibus sunt obnoxii, et semper incertum eis est quando ex hac vita sint decessuri; ideo ut semper ad mortem sint parati, quandocunque Deo Omnipotenti placuerit eos avocare, Parochi subinde (sed præsertim tempore pestis vel alius morbi contagiosi) hortentur parochianos suos ut Sacram Communionem Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri in Ecclesia publice administratam sæpe percipiant; quatenus, si aliqua subito inciderit visitatio, minorem sollicitudinis habeant causam qui eo careant. Si tamen infirmus in Ecclesiam venire nequeat, sed Communionem in domo sua percipere cupiat; oportet eum id Parocho tempestive indicare, necnon significare quot cum ipso sint communicaturi (tres autem, vel duo ad minimum, necesse est adsint). Et loco convenienti in domo infirmi præparato, cum omnibus necessariis ita dispositis ut reverenter ministrare possit, Parochus ibi Sacram Communionem celebret; incipiens ab Oratione, Epistola, et Evangelio, hic sequentibus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Conditor humani generis, qui quos diligis castigas, et flagellas omnem filium quem recipis; Miserere, quæsumus, hujus famuli tui, quem manu tua visitasti; et tribue ut infirmitatem suam patienter suscipiat, et pristinam corporis sanitatem, si sic fuerit placitum ante te, recipiat; et ut anima ejus quandocumque de corpore migraverit, tibi maculis exuta præsentetur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Heb. xii. 5.

FILI mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Evangelium.

Joan. v. 24.

AMEN, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam.

Postea pergat Sacerdos secundum formam in Ordine Sacræ Communionis supra præscriptam, incipiens ab his verbis: **Vos quos vere et serio.**

Tempore administrationis Sancti Sacramenti, Sacerdos ipse primus communicet, deinde eis administret qui ad communicandum cum infirmo designati sint, et postremo ipsi infirmo.

Sed si quis, propter vel gravitatem morbi, vel indicium opportunum Parocho non datum, vel defectum eorum qui cum eo communicare possint, vel aliud quodvis justum impedimentum, Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi non sumat; doceat eum Parochus, quod si peccatorum eum vere pœniteat, si Jesum Christum pro se in Cruce mortem esse passum, et pro sua redemptione Sanguinem ejus profudisse, constanter credat, si beneficia per hoc sibi collata studiose recolat, eique gratias ex animo referat, Corpus et Sanguinem Christi Salvatoris nostri utiliter in animæ salutem manducat et bibit, quamvis Sacramentum ore non accipiat.

Quando uno temporis spatio et visitatur infirmus, et Sacram Communionem percipit, tum Sacerdos, ut res celerius procedat, Officium Visitationis ad Psalmum, **In te, Domine, speravi,** dirimat, et statim ad Communionem pergat.

Tempore pestis, morbi sudoriferi, vel similis contagionis, cum propter ejusdem timorem nulli parochiani vel vicini adduci poterint ut cum infirmis in eorum domibus communicent, liceat Ministro solo, si id infirmus diserte postulaverit, cum eo communicare.

Ordo Sepulturae Mortuorum.

Notandum est, Officium sequens non dicendum esse pro iis qui aut non baptizati aut excommunicati mortem obierint, aut qui necem sibi consciverint.

Sacerdos et Clerici in Cœmeterii aditu Cadaveri obviam eant, et id præcedentes, aut in Ecclesiam aut sepulchrum versus, dicant aut cantent,

EGO sum resurrectio et vita, dicit Dominus: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Joan. xi. 25, 26.

SCIO quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Job. xix. 25, 26, 27.

NIHIL intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. 1 Tim. vi. 7. Job i. 21.

Cum in Ecclesiam ventum est, legantur ambo Psalmi sequentes, aut unus ex eis.

Psalmus xxxix.

DIXI, Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator adversum me

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis: et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.

Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tamquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas: omnis homo vivens.

Verumtamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat: et ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus, et substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti : amove a me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci : in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : verumtamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te : et peregrinus, sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer prius quam abeam : et amplius non ero.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus xc.

DOMINE, refugium factus es nobis : a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis : a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem : et dixisti, Convertimini filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos : tamquam dies hesterna, quæ præteriit,

Et custodia in nocte : quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat : vespere decidat, induret, et arescat.

Quia defecimus in ira tua : et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni : et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo : et corripiemur.

Quis novit potestatem iræ tuæ : et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac : et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine, usquequo : et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus,

quibus nos humiliasti : annis, quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos et in opera tua : et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos ; et opera manuum nostrarum dirige super nos : et opus manuum nostrarum dirige.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Tum sequatur Lectio desumpta ex capite decimo quinto prioris Epistolæ S. Pauli ad Corinthios.

CHRISTUS resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors ; et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur : unusquisque autem in suo ordine ; primitiæ Christus ; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat : Omnia subjecta sunt ei ; sine dubio, præter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia ; tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia ; ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt ? ut quid et baptizantur pro illis ? ut quid et nos periclitamur omni hora ? Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu, Domino nostro. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi ; quid mihi prodest, si mortui non resurgunt ? Manducemus, et bibamus ; cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate justi ; et nolite peccare ; ignorantiam enim Dei quidam habent ; ad reverentiam vobis loquor. Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui ? Qualive corpore venient ? Insipiens ! tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum ; ut (puta) tritici, aut alicujus cæterorum, Deus autem dat illi corpus, sicut vult ; et unicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro eadem caro ; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria : sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim dif-

stella in claritate; sic et
:ectio mortuorum. Semi-
in corruptione; surget
ıcorruptione. Seminatur
ıobilitate; surget in glo-
Seminatur in infirmitate;
t in virtute. Seminatur
s animale; surget corpus
ıle. Si est corpus ani-
est et spiritale, sicut
um est: Factus est pri-
homo Adam in animam
tem; novissimus Adam in
ım vivificantem. Sed non
quod spiritale est, sed
animale; deinde, quod
ıle. Primus homo de terra,
ıus: secundus homo de
cœlestis. Qualis terre-
:ales et terreni: et qualis
tis, tales et cœlestes. Igi-
icut portavimus imaginem
ıi, portemus et imaginem
tis. Hoc autem dico,
s, quia caro et sanguis
m Dei possidere non
nt; neque corruptio in-
ptelam possidebit. Ecce
:rium vobis dico: omnes
m resurgemus: sed non
s immutabimur. In mo-
), in ictu oculi, in novis-
tuba: canet enim tuba;
ırtui resurgent incorrupti:
; immutabimur. Oportet
corruptibile hoc induere
:uptionem, et mortale hoc
re immortalitatem. Cum
ı mortale hoc induerit im-
.litatem, tunc fiet sermo
:riptus est: Absorpta est
in victoria. Ubi est, mors,
ia tua? Ubi est, mors,
lus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum, Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles; abundantes in opere Domini semper; scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

Cum pervenerint ad sepulchrum, dum cadaver ad inhumationem paratur, dicat Sacerdos, aut cantent Sacerdos et Clerici:

HOMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.

Media vita in morte sumus: quem quærimus adjutorem nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris juste irasceris?

Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte et misericors Salvator, amaris mortis æternæ pœnis ne tradas nos.

Noli claudere aures tuas, Domine, ad preces nostras, qui cognoscis occulta cordis; sed parce nobis, Domine sancte, Deus fortis, sancte et misericors Salvator, æterne Judex æquissime, ne sinas nos in hora nostra novissima, propter ullos dolores mortis, a te excidere.

Deinde, dum ab aliquibus adstantibus terra cadaveri injicitur, dicat Sacerdos:

QUONIAM Deus omnipotens pro magna sua misericordia dignatus est fratris cari nostri hic defuncti animam ad se suscipere, nos igitur corpus ejus terræ committimus; terram terræ, cinerem cineri, pulverem pulveri, in spe certissima resurrectionis ad vitam æternam, per Dominum nostrum Jesum Christum: qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Deinde dicatur aut cantetur;

AUDIVI vocem de cœlo, dicentem mihi, Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.

Deinde dicat Sacerdos,

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Sacerdos.

OMNIPOTENS Deus, apud quem spiritus vivunt decedentium in Domino, et in quo fidelium animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur: Gratias ex animo tibi referimus, quia dignatus es istum fratrem nostrum ab hujus pravi mundi miseriis liberare; precantes ut digneris pro benignitate tua electorum tuorum brevi explere numerum, et regni tui maturare adventum: quatenus nos cum omnibus in vera sancti tui Nominis fide defunctis, beatitudinem tam corporis quam animæ perfectam et absolutam in sempiterna tua gloria consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio.

DEUS misericors, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est resurrectio et vita: in quo qui credit, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in eum non morietur in æternum: qui etiam nos per sanctum suum Apostolum Paulum docuit non contristari, sicut et cæteri qui spem non habent, propter eos qui dormierunt per eum: Te suppliciter rogamus, Pater, ut nos a morte peccati in justitiæ vitam erigas: quatenus cum ex hac vita decesserimus, in illo requiescamus, sicut et istum fratrem nostrum speramus requiescere: et in generali illa

resurrectione novissimi diei tibi accepti inveniamur, et eam benedictionem consequamur, quam dilectissimus Filius tuus tunc omnibus te diligentibus et timentibus pronuntiabit, dicens: Venite, benedicti filii Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Hæc, quæsumus, concedas, Pater misericors, per Jesum Christum Mediatorem et Redemptorem nostrum. *Amen.*

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. *Amen.*

Gratiarum Actio

PRO MULIERIBUS POST PARTUM.

Mulier, usitato tempore post partum, in Ecclesiam decenter induta veniat, et ibi genua flectat in loco commodo, prout aut usitatum sit, aut visum fuerit Ordinario. Deinde et dicat Sacerdos,

QUONIAM Deus Omnipotens dignatus est pro bonitate sua te in partu conservare, et in magno pariendi periculo custodire, decet te Deo ex animo gratias agere, et dicere :

Deinde Sacerdos dicat Psalmum cxvi.

DILEXI, quoniam exaudiet Dominus : vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi : et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis : et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni : et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam ; misericors Dominus, et justus : et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte : oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Placebo Domino : in regione vivorum.

Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : pro omnibus, quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluia.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper ; et in sæcula sæculorum. Amen.

Sive Psalmum cxxvii.

NISI Dominus ædificaverit domum : in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem : frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum : ecce hereditas Domini filii ; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde dicat Sacerdos,

Oremus.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem ; Sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum, Potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Minister. Salvam fac istam ancillam tuam.

Resp. Domine, sperantem in te.

Minister. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Minister. Domine, exaudi orationem nostram.

Resp. Et clamor noster ad te veniat.

Minister. Oremus.

OMNIPOTENS Deus, gratias tibi ex animo referimus, quia hanc famulam tuam de magno pariendi dolore et periculo liberare dignatus es : Concede, quæsumus, Pater misericors, ut te adjuvante, temporali cursu fideliter et secundum te peracto, sempiternam gloriam in vita futura possideat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Mulier quæ venit ad gratiarum actionem oblationes usitatas facere debet. Et si Communio administranda sit, convenit eam Sacræ Communionis fieri participem.

Comminatio,

SEU DENUNTIATIO IRÆ JUDICIORUMQUE DEI CONTRA PECCATORES,

CUM QUIBUSDAM ORATIONIBUS, IN PRIMO DIE QUADRAGESIMÆ ET ALIIS TEMPORIBUS, PROUT ORDINARIO VISUM FUERIT, FACIENDA.

Post Matutinas, Litania more consueto finita, dicat Sacerdos, in loco ubi Officium legit, aut in Pulpito,

FRATRES, in Ecclesia primitiva pia erat disciplina, secundum quam initio Quadragesimæ, rei manifestorum criminum, injuncta publica pœnitentia, in hoc sæculo puniebantur, ut spiritus salvi essent in Die Domini, et alii eorum exemplo admoniti minus auderent peccare.

Cujus loco disciplinæ, donec restitui potuerit, (quod valde optandum est), visum est ut hoc tempore coram vobis omnibus legantur generales sententiæ divinæ maledictionis in peccatores obstinatos, e vicesimo septimo capite Deuteronomii, et aliis Scripturæ locis, desumptæ, et vos ad singulas sententias respondeatis, *Amen:* quo magis, de gravi indignatione Dei contra peccatores admoniti, ad veram seriamque pœnitentiam excitemini, et in hisce diebus periculosis cautius ambulantes, illa vitia devitetis quæ divina maledictione digna esse proprio ore affirmatis.

MALEDICTUS homo qui facit sculptile et conflatile, ut adoret illud.

Respondeat populus, ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui maledixerit patri vel matri.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui transfert terminos proximi sui.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui errare facit cæcum in itinere.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui clam percusserit proximum suum.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui dormit cum uxore proximi sui.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.**

Resp. ***Amen.***

Minister. **Maledicti immise-**

ricordes, scortatores, adulteri, avari, idololatræ, calumniatores, ebriosi, raptores.

Resp. *Amen.*

Minister.

NOS igitur, cum, teste David Propheta, maledicti sint omnes, qui declinant a mandatis Dei, tremendum illud judicium nobis imminens et nunquam non instans recordemur; ad Dominum Deum nostrum omni cordis contritione et humilitate revertamur; præteritæ vitæ culpas defleamus, peccata confiteamur, et fructus dignos pœnitentiæ facere studeamus. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor quæ non facit bonum fructum excidetur, et in ignem mittetur. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inexstinguibili. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet: cum enim dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. Tunc apparebit ira illa Dei in die vindictæ, quam peccatores obstinati secundum duritiam suam et impœnitens cor sibi thesaurizaverunt; qui contemnebant bonitatem et patientiam et longanimitatem Dei in pœnitentiam jugiter se vocantis. Tunc invocabunt me, inquit Dominus, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. Tunc nimis sero pulsabunt post clausam januam, et in tempore judicii misericordiam implorabunt. O vox terribilis justissimi judicii contra eos pronuntiandi, cum eis dicetur, Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Igitur, fratres, mature attendamus nobis, dum dies est salutis: venit enim nox, quando nemo potest operari. Nos autem, dum lucem, habemus, credamus in lucem, et tanquam filii lucis ambulemus: ne ejiciamur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Ne abutamur bonitate Dei, qui ad pœnitentiam nos benignus invitat, et pro infinita misericordia sua nobis, ad se in corde perfecto reversis, præteritorum indulgentiam pollicetur. Si fuerint peccata nostra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si

fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Convertimini, ait Dominus, ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite. Quamquam peccavimus, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera. Ad eum ergo revertamur, qui omnes pœnitentes benigne suscipit: nec dubitemus quin adsit nos suscepturus, et paratus ad ignoscendum, modo ad eum fideli pœnitentia accedamus, ei nos subjiciamus, in ejus viis posthac ambulemus, jugum ejus suave et onus leve super nos tollamus, quatenus eum in humilitate, patientia, et charitate sequentes, a Sancto ejus Spiritu gubernemur, gloriam ejus semper quæramus, et ei in vocatione nostra, prout nos oportet, cum gratiarum actione serviamus. Quod si fecerimus, Christus nos redimet de maledicto legis, et de gravissima illa maledictione quæ in eos incidet, qui a sinistris statuentur: immo nos a dextris statuet, et dabit nobis benignam Patris sui benedictionem, jubens nos glorios regnum possidere: ad omnes pro infinita ricordia perducere Amen.

Deinde, omnibus g Sacerdos et Clerici ubi Litaniam dice genuflexi hunc Psa cant.

Psalmus li.

MISERERE m secundum ma sericordiam tuam.

Et secundum mu miserationum tuaru iniquitatem meam.

Amplius lava me tate mea : et a pec munda me.

Quoniam iniquitat ego cognosco : et meum contra me est

Tibi soli peccavi, coram te feci : ut jus sermonibus tuis, et v judicaris.

Ecce enim in ini conceptus sum : et i concepit me mater m

Ecce enim veritat isti : incerta et occulta tuæ manifestasti mihi

Asperges me hyssop dabor : lavabis me, nivem dealbabor.

Auditui meo dabis et lætitiam : et exsult humiliata.

Averte faciem tuan tis meis : et omnes i meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua : et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Minister. Salvos fac servos tuos.

Resp. Domine, sperantes in te.

Minister. Mitte eis auxilium desuper.

Resp. Et semper tuere eos.

Minister. Adjuva nos, Deus salutaris noster.

Resp. Et propter gloriam Nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Minister. Domine, exaudi orationem nostram.

Resp. Et clamor noster ad te veniat.

Minister. Oremus.

EXAUDI, Domine, preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis: ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentiæ tuæ miseratio absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

DEUS potentissime, Pater misericors, qui misereris omnium, et nihil odisti eorum quæ fecisti; qui dixisti pœnitentiam et salutem te malle peccatoris quam mortem: Dimitte nobis misericors debita nostra; peccatorum nos onere fatigatos, ut suscipias et refoveas deprecamur. Tuum est semper misereri;

tui solius est veniam dare delictorum. Parce nobis ergo, Domine, parce populo tuo quem redemisti; non intres in judicium cum nobis, qui vilis terra sumus, et miseri peccatores; sed ita iram tuam avertas a nobis, turpitudinem nostram humiliter agnoscentibus, et culpas nostras ex animo deflentibus, et ita in hoc sæculo ad adjuvandum nos festines, ut in futuro tecum semper vivamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde populus quod sequitur dicat, præeunte Ministro.

CONVERTE nos, Domine, et convertemur. Propitius esto, Domine, Propitius esto populo tuo, Qui ad te in fletu, in jejunio, et in supplicando convertitur. Tu enim misericors es Deus, Plenus miserationum, Longanimis et miserator. Parcis nobis pœnam merentibus; Et etiam iratus recordaris misericordiam. Parce populo tuo, parce, Domine; Et ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Exaudi nos, Domine, quia magna est misericordia tua: Et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos. Propter merita benedicti Filii tui, Mediatoris et Domini nostri, Jesu Christi. Amen.

Deinde solus dicat Minister,

BENEDICAT nobis Dominus, et custodiat nos: convertat Dominus vultum suum super nos, et det nobis pacem nunc et semper. *Amen.*

Psalterium Davidicum.

Dies I. Ad Matutinas.

Psalmus I.

BEATUS vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit : et in cathedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo :

Et folium ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : neque peccatores in consilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit.

Psalmus II.

QUARE fremuerunt gentes : et populi meditati sunt inania ?

Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum : adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum : et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua : et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu : ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea : et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite : erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore : et exsultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus : et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo.

Psalmus III.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es : gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua.

Psalmus IV.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei : et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus v
et in cubilibus vestris co
gimini.

Sacrificate sacrificium
tiæ, et sperate in Don
multi dicunt, Quis ostenc
bis bona?

Signatum est super nos
vultus tui, Domine :
lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vi
olei sui : multiplicati sun

In pace in idipsum : do
et requiescam.

Quoniam tu, Domine,
lariter in spe : constituist

Psalmus V.

VERBA mea auribu
cipe, Domine : in
clamorem meum.

Intende voci orationis
Rex meus et Deus meus.

Quoniam ad te orabo
mine : mane exaudies
meam.

Mane adstabo tibi et vi
quoniam non Deus voler
quitatem tu es.

Neque habitabit jux
malignus : neque perman
injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui ope
iniquitatem : perdes omn
loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et
sum abominabitur Dom
ego autem in multitudine
ricordiæ tuæ.

Introibo in domum t
adorabo ad templum sa
tuum in timore tuo.

Domine, deduc me ir

titia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolose agebant: judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exsultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt Nomen tuum: quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.

DIES I. Ad Vesperas.

PSALMUS VI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

PSALMUS VII.

DOMINE Deus meus, in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam: et gloriam meam in pulverem deducat.

Exsurge Domine in ira tua: et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exsurge Domine Deus meus in præcepto quod man-

dasti : et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere : Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam : et secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum : scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutorium meum a Domino : qui salvos facit rectos corde.

Deus Judex justus, fortis, et patiens : numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit : arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturit injustitiam ; concepit dolorem : et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et psallam Nomini Domini altissimi.

PSALMUS VIII.

DOMINE Dominus noster : quam admirabile est Nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua : super cœlos.

Ex ore infantiam et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos : ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulominus ab angelis, gloria et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris : qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster : quam admirabile est Nomen tuum in universa terra!

DIES II. Ad Matutinas.

PSALMUS IX.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et exsultabo in te : psallam Nomini tuo, Altissime.

In convertendo inimicum meum retrorsum : infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

Quoniam fecisti judicium meum et causam meam : sedes super thronum qui judicas justitiam.

Increpasti gentes, et periit impius : nomen eorum delesti in æternum et in sæculum sæculi.

Inimici defecerunt frameæ in

et civitates eorum de-
i.
t memoria eorum cum
et Dominus in æternum
et.
rit in judicio thronum
et ipse judicabit orbem
n æquitate; judicabit
in justitia.
ctus est Dominus refu-
auperi : adjutor in op-
atibus, in tribulatione.
erent in te qui noverunt
tuum : quoniam non
isti quærentes te, Do-

ite Domino, qui habitat
: annuntiate inter gen-
ia ejus.
iam requirens sangui-
orum recordatus est :
oblitus clamorem pau-

ere mei, Domine : vide
item meam de inimicis

exaltas me de portis
: ut annuntiem omnes
nes tuas in portis filiæ

tabo in salutari tuo :
unt gentes in interitu,
cerunt.
jueo isto quem abscon-
: comprehensus est pes

oscetur Dominus judicia
: in operibus manuum
comprehensus est pec-

ertantur peccatores in
n : omnes gentes quæ
intur Deum.
iam non in finem ob-

livio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem.

Exsurge, Domine; non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo.

Constitue, Domine, legislatorem super eos : ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Psalmus X.

UT quid, Domine, recessisti longe : despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ : et iniquus benedicitur.

Exacerbavit Dominum peccator : secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus : omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem sine malo.

Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo : sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis : ut interficiat innocentem.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.

In laqueo suo humiliabit eum : inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde suo; Oblitus est Deus : avertit faciem suam ne videat in finem.

Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua : ne obliviscaris pauperum.

Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret.

Vides; quoniam tu laborem et dolorem consideras : ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.

Contere brachium peccatoris et maligni : quæretur peccatum illius, et non invenietur.

Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi : peribitis gentes de terra illius.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Judicare pupillo et humili : ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

PSALMUS XI.

IN Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra : ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : justus autem quid fecit?

Dominus in templo sa suo : Dominus in cœlo s ejus.

Oculi ejus in pauperem r ciunt : palpebræ ejus int gant filios hominum.

Dominus interrogat ju et impium : qui autem d iniquitatem, odit animam s

Pluet super peccatores queos : ignis, et sulphu spiritus procellarum, pars cis eorum.

Quoniam justus Domin justitias dilexit : æquit vidit vultus ejus.

DIES II. Ad Vesperas

PSALMUS XII.

SALVUM me fac, Dor quoniam defecit sanc quoniam diminutæ sunt tates a filiis hominum.

Vana locuti sunt unusqui ad proximum suum : labi losa, in corde et corde l sunt.

Disperdat Dominus uni labia dolosa : et linguam niloquam.

Qui dixerunt, Linguam tram magnificabimus : nostra a nobis sunt; quis n Dominus est?

Propter miseriam inopu gemitum pauperum : nun surgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari : fidu ter agam in eo.

Eloquia Domini, elo casta; argentum igne ex natum : probatum terræ, gatum septuplum.

Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos : a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Psalmus XIII.

USQUEQUO, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte : nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi.

Exsultabit cor meum in salutari tuo ; cantabo Domino qui bona tribuit mihi : et psallam Nomini Domini altissimi.

Psalmus XIV.

DIXIT insipiens in corde suo : Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum : ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt ; simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum ; linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem : qui devorant plebem meam sicut escam panis?

Deum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Dominus in generatione justa est : consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israël.

Dies III. Ad Matutinas.

Psalmus XV.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula : et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo : qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo ma-

lum : et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc : non movebitur in æternum.

Psalmus XVI.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te : dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus : mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ : adimplebis me lætitia cum vultu tuo ; delectationes in dextera tua usque in finem.

Psalmus XVII.

EXAUDI, Domine, justitiam meam : intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam : non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum : propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis : ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus : inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas : qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me : ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me : a facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt : os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam : et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum : eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine, a paucis de terra divide eos in vitæ eorum : de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis : et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo : satiabor cum apparuerit gloria tua.

DIES III. Ad Vesperas.

PSALMUS XVIII.

DILIGAM te, Domine, fortitudo mea : Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Deus meus, adjutor meus : et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ : et susceptor meus.

Laudans invocabo Dominum : et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me dolores mortis : et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me : præoccupaverunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocavi Dominum : et ad Deum meum clamavi :

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Commota est et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit : carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, et descendit : et caliga sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubin, et volavit : volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus : tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt : grando et carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam : grando et carbones ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Et apparuerint fontes aquarum : et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua, Domine: ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Misit de summo, et accepit me : et assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ : et factus est Dominus protector meus.

Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodivi vias Domini : nec impie gessi a Deo meo.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo : et observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Cum sancto sanctus eris : et cum viro innocente innocens eris :

Et cum electo electus eris : et cum perverso perverteris.

Quoniam tu populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine : Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar a tentatione : et in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus impolluta via ejus : eloquia Domini igne examinata ; protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis Deus præter Dominum : aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcinxit me virtute : et posuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum : et super excelsa statuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ : et dextera tua suscepit me :

Et disciplina tua correxit me in finem : et disciplina tua, ipsa me docebit.

Dilatasti gressus meos subtus me : et non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum : et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum : et odientes me disperdidisti.

Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret : ad Dominum, nec exaudivit eos.

Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictio-

nibus populi : constitues me in caput gentium.

Populus quem non cognovi servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.

Filii alieni mentiti sunt mihi : filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus : et exaltetur Deus salutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me : liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine : et Nomini tuo psalmum dicam.

Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David : et semini ejus usque in sæculum.

DIES IV. Ad Matutinas.

PSALMUS XIX.

CŒLI enarrant gloriam Dei : et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum : et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones : quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verbum eorum.

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exsultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus :

Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus; permanet in sæculum sæculi : judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea : in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me : et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus : et redemptor meus.

PSALMUS XX.

EXAUDIAT te Dominus in die tribulationis : protegat te Nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto : et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum : et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo : et in Nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo : in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in Nomine Domine Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem : et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Psalmus XXI.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex : et super salutare tuum exsultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te : et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino : et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Dies IV. Ad Vesperas.

Psalmus XXII.

DEUS, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas : laus Israël.

In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino ; eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre ; spes mea ab uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu : ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est : quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum : sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens : in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam : et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo Nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum : universum semen Jacob glorificate eum :

Timeat eum omne semen Israël : quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me : et cum clamarem ad eum exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum : et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMUS XXIII.

DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ : propter Nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis : non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus : ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam : adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me : omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini : in longitudinem dierum.

DIES V. Ad Matutinas.

PSALMUS XXIV.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus et mundo corde ; qui non accepit in vano animam suam : nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum : quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

PSALMUS XXV.

AD te, Domine, levavi animam meam : Deus meus, in te confido, non erubescam :

Neque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes : supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine : et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ : et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas : requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter Nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, et laborem meum : et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicata sunt : et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.

Libera, Deus, Israël : ex omnibus tribulationibus suis.

PSALMUS XXVI.

JUDICA me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum : et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est : et complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas : et circumdabo altare tuum, Domine :

Ut audiam vocem laudis tuæ : et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam : et cum viris sanguinum vitam meam :

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te, Domine.

Dies V. Ad Vesperas.

Psalmus XXVII.

Dominus illuminatio mea : et salus mea ; quem timebo ?

Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes : ut edant carnes meas ;

Qui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra : non timebit cor meum.

Si exsurgat adversum me prælium : in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini : et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum : protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto ; ne derelinquas me : neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea, dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini : in terra viventium.

Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Psalmus XXVIII.

Ad te, Domine, clamabo ; Deus meus, ne sileas a me : ne quando taceas a me et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dum oro ad te : dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum pec-

catoribus : et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo : mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum : et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis : redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini : et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos.

Benedictus Dominus : quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Dominus adjutor meus, et protector meus : in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea : et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ : et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ : et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Psalmus XXIX.

AFFERTE Domino filii Dei : afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam Nomini ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros : et confringet Dominus cedros Libani :

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani : et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis ; vox Domini concutientis desertum : et commovebit Dominum desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa : et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit : et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

Dies VI. Ad Matutinas.

Psalmus XXX.

EXALTABO te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te : et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus : et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus : et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus : et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tua : præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me : et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo : et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo : dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis : aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Psalmus XXXI.

IN te, Domine, speravi; non confundar in æternum : in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii : ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter Nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me, Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates : supervacue.

Ego autem in Domino speravi : exsultabo et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam : salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea : et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea : et ossa mea conturbata sunt :

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde : et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me : oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum : quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me : accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi, Domine; dixi, Deus meus es tu : in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum : et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, Domine : non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum : muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem : in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine : quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis qui sperant in te : in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ : a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo : a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus : quoniam mirificavit misericordiam suam mihi; in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ : dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus : et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum : omnes qui speratis in Domino.

Dies VI. Ad Vesperas.

Psalmus XXXII.

BEATI quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum : nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi.

Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus : in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me : exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et

mulus : quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino et exsultate justi : et gloriamini omnes recti corde.

PSALMUS XXXIII.

EXSULTATE justi in Domino : rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini : et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium ; reprobat autem cogitationes populorum : et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

Beata gens cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi.

De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo : respexit super omnes qui habitant terram.

Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum : et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum : quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum : et in Nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos : quemadmodum speravimus in te.

Psalmus XXXIV.

BENEDICAM Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti et lætentur.

Magnificate Dominum mecum : et exaltemus Nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum : et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Dies VII. Ad Matutinas.

Psalmus XXXV.

JUDICA, Domine, nocentes me : expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum : et exsurge in adjutorium mihi.

Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur : quærentes animam meam.
Avertantur retrorsum et confundantur : cogitantes mihi mala.
Fiant tanquam pulvis ante faciem venti : et angelus Domini coarctans eos.
Fiat via illorum tenebræ et lubricum : et angelus Domini persequens eos.
Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui : supervacue exprobraverunt animam meam.
Veniat illi laqueus, quem ignorat : et captio, quam abscondit, apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.
Anima autem mea exsultabit in Domino : et delectabitur super salutari suo.
Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ?
Eripiens inopem de manu fortiorum ejus : egenum et pauperem a diripientibus eum.
Surgentes testes iniqui : quæ ignorabam interrogabant me.
Retribuebant mihi mala pro bonis : sterilitatem animæ meæ.
Ego autem cum mihi molesti essent : induebar cilicio.
Humiliabam in jejunio animam meam : et oratio mea in sinu meo convertetur.
Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam : quasi lugens et contristatus sic humiliabar.
Et adversum me lætati sunt, et convenerunt : congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Dissipati sunt, nec c
puncti ; tentaverunt me ; s
sannaverunt me subsannatio
frenduerunt super me denti
suis.
Domine, quando respic
restitue animam meam a
lignitate eorum : a leoni
unicam meam.
Confitebor tibi in eccl
magna : in populo gravi l
dabo te.
Non supergaudeant mihi
adversantur mihi inique :
oderunt me gratis, et annu
oculis.
Quoniam mihi quidem p
fice loquebantur : et in i
cundia terræ loquentes, d
cogitabant.
Et dilataverunt super me
suum : dixerunt, Euge, eu
viderunt oculi nostri.
Vidisti, Domine, ne sile
Domine, ne discedas a me.
Exsurge et intende jud
meo Deus meus : et Domi
meus in causam meam.
Judica me secundum ju
tiam tuam, Domine D
meus : et non supergaude
mihi.
Non dicant in cordibus s
Euge, euge, animæ nostr
nec dicant, Devoravi
eum.
Erubescant et reverea
simul : qui gratulantur m
meis.
Induantur confusione et
verentia : qui magna loquu
super me.
Exsultent et lætentur
volunt justitiam meam :

dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam : tota die laudem tuam.

PSALMUS XXXVI.

DIXIT injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.

Quoniam dolose egit in conspectu ejus : ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere ut bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non audivit.

Domine, in cœlo misericordia tua : et veritas tua usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum : in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te : et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare.

DIES VII. Ad Vesperas.

PSALMUS XXXVII.

NOLI æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent : et quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in Domino, et fac bonitatem : et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

Delectare in Domino : et dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Domino viam tuam : et spera in eo, et ipse faciet.

Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem : subditus esto Domino, et ora eum.

Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua : in homine faciente injustitias.

Desine ab ira, et derelinque furorem : noli æmulari ut maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur : sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator : et quæres locum ejus, et non invenies.

Mansueti autem hæreditabunt terram : et delectabuntur in multitudine pacis.

Observabit peccator justum : et stridebit super eum dentibus suis.

Dominus autem irridebit eum : quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

Gladium evaginaverunt peccatores : intenderunt arcum suum.

Ut dejiciant pauperem et inopem : ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipsorum : et arcus eorum confringatur.

Melius est modicum justo : super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur : confirmat autem justos Dominus.

Novit Dominus dies immaculatorum : et hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo : et in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.

Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati : deficientes, quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, et non solvet : justus autem miseretur et tribuet.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram : maledicentes autem ei disperibunt.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur : et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non collidetur : quia Dominus su manum suam.

Junior fui, etenim se non vidi justum derel nec semen ejus quære nem.

Tota die miseretur e modat : et semen illius i dictione erit.

Declina a malo, et f num : et inhabita in sa sæculi.

Quia Dominus amat ju et non derelinquet s suos : in æternum co buntur.

Injusti punientur : et impiorum peribit.

Justi autem hæredi terram : et inhabitab sæculum sæculi super ea

Os justi meditabitur tiam : et lingua ejus lo judicium.

Lex Dei ejus in corde et non supplantabuntur ejus.

Considerat peccator ju et quærit mortificare eu

Dominus autem non d quet eum in manibus eju damnabit eum cum judi illi.

Exspecta Dominum, todi viam ejus ; et exalt ut hæreditate capias te cum perierint peccatore bis.

Vidi impium super tum : et elevatum sicut Libani.

Et transivi, et ecce no et quæsivi eum, et non ventus locus ejus.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem : quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt.

Salus autem justorum a Domino : et protector eorum in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

DIES VIII. Ad Matutinas.

PSALMUS XXXVIII.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ : a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum : et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei : adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates : et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens : et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi : tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me : et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi : quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine

Deus meus : ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ.

PSALMUS XXXIX.

DIXI, Custodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam : cum consisteret peccator adversum me.

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis : et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.

Locutus sum in lingua mea : Notum fac mihi, Domine, finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est : ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas : omnis homo vivens.

Verumtamen in imagine pertransit homo : sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat : et ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus, et substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam
amove a me plagas
A fortitudine ma
defeci : in increpati
ter iniquitatem co
minem.

Et tabescere :
araneam animam e
tamen vane contur
homo.

Exaudi oration
Domine, et de
meam : auribus pe
mas meas.

Ne sileas, quon
ego sum apud te : e
sicut omnes patres

Remitte mihi, ı
priusquam abeam
non ero.

PSALMUS

EXSPECTAN
Dominum :
mihi.

Et exaudivit pı
et eduxit me de la
et de luto fæcis.

Et statuit sup
pedes meos : et dii
meos.

Et immisit in os
ticum novum : c
nostro.

Videbunt multi e
et sperabunt in Do

Beatus vir cujus
Domini spes ejus
spexit in vanitates
falsas.

Multa fecisti t
Deus meus, mirab

cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi; Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui: et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam: a concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam: ut auferant eam.

Convertantur retrorsum et revereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te: et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris.

Dies VIII. Ad Vesperas.

Psalmus XLI.

BEATUS qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos: magnificavit super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me: et retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël: a sæculo, et usque in sæculum; fiat, fiat.

Psalmus XLII.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultationis et confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua et fluctus tui: super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es:

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea exprobraverunt mihi: qui tribulant me inimici mei.

Dum dicant mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Psalmus XLIII.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de

gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei : ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.

DIES IX. Ad Matutinas.

PSALMUS XLIV.

DEUS, auribus nostris audivimus : patres nostri annuntiaverunt nobis,

Opus quod operatus es in diebus eorum : et in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos : afflixisti populos, et expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram : et brachium eorum non salvavit eos :

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus : qui mandas salutes Jacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu : et in Nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo : et gladius meus non salvabit me.

Salvasti enim nos de affligentibus nos : et odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die : et in Nomine tuo confitebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti et confudisti nos : et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros : et qui oderunt nos diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escarum : et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio : et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris : subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem gentibus : commotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est : et confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis et obloquentis : a facie inimici et persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te : et

inique non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum : et declinasti semitas nostras a via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis : et cooperuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus Nomen Dei nostri : et si expandimus manus nostras ad deum alienum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis.

Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge et ne repellas in finem.

Quare faciem tuam avertis : oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra : conglutinatus est in terra venter noster.

Exsurge, Domine, adjuva nos : et redime nos propter Nomen tuum.

PSALMUS XLV.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ : velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum ; diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum : potentissime.

Specie tua et pulchrit
tua : intende, prospere
cede, et regna.

Propter veritatem, et
suetudinem, et justitiam
deducet te mirabiliter d
tua.

Sagittæ tuæ acutæ ; p
sub te cadent : in corda i
corum regis.

Sedes tua, Deus, in sæ
sæculi : virga directionis
regni tui.

Dilexisti justitiam, et
iniquitatem : propterea
te Deus, Deus tuus, oleo
tiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et c
vestimentis tuis, a do
eburneis : ex quibus dele
runt te Filiæ regum in h
tuo.

Astitit regina a dextri
in vestitu deaurato : circu
varietate.

Audi filia, et vide, et i
aurem tuam : et oblivisce
pulum tuum, et domum
tui.

Et concupiscet rex de
tuum : quoniam ipse es
minus Deus tuus, et ador
eum.

Et filiæ Tyri in mune
vultum tuum deprecab
omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ
ab intus, in fimbriis a
circumamicta varietatibus

Adducentur Regi vi
post eam : proximæ ejus
rentur tibi.

Afferentur in lætitia

sultatione : adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt Nominis tui, Domine : in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum : et in sæculum sæculi.

Psalmus XLVI.

DEUS noster refugium et virtus : adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum : conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus ; non commovebitur : adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini : quæ posuit prodigia super terram.

Auferens bella usque ad finem terræ : arcum conteret, et confringet arma ; et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

Dies IX. Ad Vesperas.

Psalmus XLVII.

OMNES gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis.

Quoniam Dominus excelsus terribilis : Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis : et gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo : et Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus : psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Psalmus XLVIII.

MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion : latera aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur: cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundum Nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judæ: propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: et distribuite domos ejus; ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS XLIX.

AUDITE hæc, omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem:

Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in un dives et pauper.

Os meum loquetur sapi tiam: et meditatio cordis i prudentiam.

Inclinabo in parabolam rem meam: aperiam in p terio propositionem meam.

Cur timebo in die ma iniquitas calcanei mei circ dabit me.

Qui confidunt in virtute s et in multitudine divitiar suarum gloriantur,

Frater non redimit, redi homo: non dabit Deo pl tionem suam.

Et pretium redemptic animæ suæ: et laborabit æternum, et vivet adhuc finem.

Non videbit interitum, c viderit sapientes morient simul insipiens et stultus p bunt.

Et relinquent alienis divi suas: et sepulchra eorum mus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in p genie et progenie: vocaver nomina sua in terris suis.

Et homo, cum in hor esset, non intellexit: comp tus est jumentis insipientil et similis factus est illis.

Hæc via illorum scandal ipsis: et postea in ore suo c placebunt.

Sicut oves in inferno p sunt: mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum j in matutino: et auxilium eo veterascet in inferno a gl eorum.

Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi : cum acceperit me.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo : et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Quoniam cum interierit, non sumet omnia : neque descendet cum eo gloria ejus.

Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Introibit usque in progenies patrum suorum : et usque in æternum non videbit lumen.

Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Dies X. Ad Matutinas.

Psalmus L.

DEUS deorum Dominus locutus est : et vocavit terram,

A solis ortu usque ad occasum : ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida.

Advocabit cœlum desursum : et terram, discernere populum suum.

Congregate illi sanctos ejus : qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus : quoniam Deus judex est.

Audi, populus meus, et loquar ; Israël, et testificabor tibi : Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te : holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos : neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum : jumenta in montibus et boves.

Cognovi omnia volatilia cœli : et pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

Numquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo ?

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas : et assumis testamentum meum per os tuum ?

Tu vero odisti disciplinam : et projecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris : et adversus

filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

Psalmus LI.

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Psalmus LII.

Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?

Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super be-

atem: iniquitatem magis
loqui æquitatem.
existi omnia verba præci-
nis: lingua dolosa.
pterea Deus destruet te
m: evellet te, et emigra-
de tabernaculo tuo; et
m tuum de terra viven-

ebunt justi et timebunt,
per eum ridebunt, et
: Ecce homo, qui non
Deum adjutorem suum:
speravit in multitudine
rum suarum: et præva-
vanitate sua.
autem, sicut oliva fruc-
in domo Dei: speravi in
cordia Dei in æternum,
æculum sæculi.
fitebor tibi in sæculum,
fecisti: et exspectabo
n tuum, quoniam bonum
conspectu sanctorum
n.

ES X. Ad Vesperas.

PSALMUS LIII.

XIT insipiens in corde
suo: Non est Deus.
rupti sunt, et abomina-
facti sunt in iniquitati-
non est qui faciat bonum.
us de cœlo prospexit super
hominum: ut videat si
telligens, aut requirens
.
nes declinaverunt, simul
es facti sunt: non est qui
bonum, non est usque ad
.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ: exsultabit Jacob, et lætabitur Israël.

PSALMUS LIV.

DEUS, in Nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi; et confitebor Nomini tuo, Domine: quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

Psalmus LV.

EXAUDI, Deus, orationem meam: et ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: et volabo, et requiescam?

Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

Exspectabam eum qui salvum me fecit: a pusillanimitate spiritus et tempestate.

Præcipita, Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: et labor in medio ejus, et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus: usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem utique.

Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero homo unanimis: dux meus et notus meus:

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvavit me.

Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, et humiliabit illos: qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus: divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum: et ipsi sunt jacula.

Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet: et non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu vero, Deus, deduces eos: in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te, Domine.

Ad Matutinas.

MUS LVI.

ERE mei, Deus,
ıiam conculcavit
ota die impugnans
:.
erunt me inimici
e: quoniam multi
ersum me.
dine diei timebo:
e sperabo.
laudabo sermones
)eo speravi: non
faciat mihi caro.
verba mea exsecra-
versus me omnes
eorum in malum.
unt et abscondent:
ım meum observa-

:inuerunt animam
nihilo salvos facies
populos confringes.
ım meam annun-
posuisti lacrymas
spectu tuo.
ı promissione tua:
tentur inimici mei

ıque die invocavero
novi quoniam Deus

audabo verbum, in
labo sermonem: in
, non timebo quid
ıomo.
ıt, Deus, vota tua:
, laudationes tibi.
eripuisti animam
orte, et pedes meos
de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

PSALMUS LVII.

MISERERE mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam: et eripuit animam meam de medio catulorum leonum; dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ; et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos, Deus: et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam.

Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara: exsurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine: et psalmum dicam tibi in gentibus:

Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus: et super omnem terram gloria tua.

Psalmus LVIII.

SI vere utique justitiam loquimini: recta judicate filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra: injustitias manus vestræ concinnant.

Alienati sunt peccatores a vulva; erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.

Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.

Quæ non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætabitur justus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

Et dicet homo, Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

DIES XI. Ad Vesp

Psalmus LIX

ERIPE me de meis, Deus meu insurgentibus in me lib

Eripe me de operanti quitatem: et de viris num salva me.

Quia ecce ceperunt meam: irruerunt in me

Neque iniquitas me peccatum meum, Domi iniquitate cucurri, et di

Exsurge in occursum et vide: et tu, Domir virtutum, Deus Israël.

Intende ad visitanda gentes: non misereari bus qui operantur iniqu

Convertentur ad ve et famem patientur ut et circuibunt civitatem.

Ecce loquentur in et gladius in labiis quoniam quis audivit?

Et tu, Domine, d eos: ad nihilum deduce gentes.

Fortitudinem meam custodiam, quia Deus s meus: Deus meus, mise ejus præveniet me.

Deus ostendit mih inimicos meos: ne occi nequando obliviscantu mei.

Disperge illos in tua: et depone eos, p meus, Domine.

Delictum oris eoru monem labiorum ipso

comprehendantur in superbia sua.

Et de exsecratione et mendacio: annuntiabuntur in consummatione:

In ira consummationis, et non erunt: et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero fuerint saturati, et murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exsultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus: et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adjutor meus, tibi psallam: quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia mea.

Psalmus LX.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es et misertus es nobis.

Commovisti terram et conturbasti eam: sana contritiones ejus; quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus.

Ut liberentur dilecti tui: salvum fac dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sancto suo: lætabor, et partibor Sichimam: et convallem tabernaculorum metibor.

Meus est Galaad, et meus est Manasses: et Ephraïm fortitudo capitis mei.

Juda rex meus: Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam: quis deducet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Psalmus LXI.

EXAUDI, Deus, deprecationem meam: intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus Nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam Nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Dies XII. Ad Matutinas.

Psalmus LXII.

NONNE Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Nam et ipse Deus meus et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

Quousque irruitis in hominem: interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in siti; ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus et salvator meus: adjutor meus; non emigrabo.

In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei; et spes mea in Deo est.

Sperate in eo, omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum.

Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

Psalmus LXIII.

DEUS, Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, invia, et inaquosa; sic in sancto apparui tibi: ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: et in Nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exsultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meum; in matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exsultabo; adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ: traduntur in manus gladii; partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo

laudabuntur omnes qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus LXIV.

EXAUDI, Deus, orationem meam cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt, Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos : et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde.

Dies XII. Ad Vesperas.

Psalmus LXV.

TE decet hymnus, Deus, in Sion : et tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster : spes omnium finium terræ, et in mari, longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : qui conturbas profundum maris; sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.

Visitasti terram et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis : parasti cibum illorum; quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti :

et exsultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt; etenim hymnum dicent.

PSALMUS LXVI.

JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dicite Nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat Nomini tuo.

Venite et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum; oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem
aquam: et eduxisti nos in
frigerium.

Introibo in domum tuan
holocaustis: reddam tibi
mea, quæ distinxerunt la
mea.

Et locutum est os meum
tribulatione mea.

Holocausta medullata o
am tibi cum incenso arieti
offeram tibi boves cum hirc

Venite, audite, et narra
omnes qui timetis Deum: q
ta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clam
et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in c
meo: non exaudiet Domin

Propterea exaudivit De
et attendit voci deprecati
meæ.

Benedictus Deus, qui amovit orationem meam misericordiam suam a me.

PSALMUS LXVII.

DEUS misereatur nostr
benedicat nobis: illu
net vultum suum super no
misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra
tuam: in omnibus gent
salutare tuum.

Confiteantur tibi po
Deus: confiteantur tibi po
omnes.

Lætentur et exultent gen
quoniam judicas populos
æquitate, et gentes in t
dirigis.

Confiteantur tibi po

Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

DIES XIII. Ad Matutinas.

PSALMUS LXVIII.

EXSURGAT Deus, et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei : et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite Nomini ejus : iter facite ei, qui ascendit super occasum ; Dominus Nomen illi.

Exsultate in conspectu ejus : turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo :

Qui educit vinctos in fortitudine : similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus, cum egredereris in conspectu populi tui : cum pertransires in deserto ;

Terra mota est ; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai : a facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ ; et infirmata est : tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus : virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti : et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ : et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos ?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dominus in eis, in Sinai in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem : accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes : inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi : et Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum : ver-

ticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris :

Ut intingatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos, Deus : ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus : in medio juvencularum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo : Domino de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus : in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda, Deus, virtuti tuæ : confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Hierusalem : tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt ; venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo : psallite Domino :

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli : ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis ; date gloriam Deo super Israël : magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus
suis : Deus Israë
virtutem et fortitu
suæ ; benedictus I

DIES XIII. A

PSALMUS I

SALVUM me
quoniam intr
usque ad animam
Infixus sum in li
et non est substan
Veni in altitud
et tempestas deme
Laboravi clan
factæ sunt fauces
cerunt oculi mei,
Deum meum.
Multiplicati su
pillos capitis mei
me gratis.
Confortati sunt
sunt me inimici
quæ non rapui,
bam.
Deus, tu scis
meam : et delicta
sunt abscondita.
Non erubescan
exspectant te, Dom
virtutum.
Non confundan
qui quærunt te, D
Quoniam propt
opprobrium : ope
faciem meam.
Extraneus factu
bus meis : et pe
matris meæ.
Quoniam zelus
comedit me : et

probrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam : et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium :. et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta : et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine : tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me : in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar : libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ : neque absorbeat me profundum ; neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam : et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : improperium exspectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum : et in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam : et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta : et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt : et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium : et cum justis non scribuntur.

Ego sum pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo Nomen Dei cum cantico : et magnificabo eum in laude :

Et placebit Deo super vitulum novellum : cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra : mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet

Sion : et ædificabuntur civitates Judæ.

Et inhabitabunt ibi : et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam : et qui diligunt Nomen ejus habitabunt in ea.

Psalmus LXX.

DEUS, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant : qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes : qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum : Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu : Domine, ne moreris.

Dies XIV. Ad Matutinas.

Psalmus LXXI.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternam : in justitia tua libera me et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam : et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum : et refugium meum es tu.

Deus meus, eripe me de manu peccatoris : et de manu contra legem agentis et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine : Domine, spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus :

In te cantatio mea semper : tanquam prodigium factus sum multis : et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude ut cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum,

Dicentes, Deus dereliquit eum : persequimini, et comprehendite eum : quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam : tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litte-

raturam, introïbo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Et usque in senectam et senium : Deus, ne derelinquas me :

Donec annuntiem brachium tuum : generationi omni quæ ventura est :

Potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas ; et conversus vivificasti me : et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam : et conversus consolatus es me.

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi : veritatem tuam, Deus ; psallam tibi in cithara, sanctus Israël.

Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi ; et anima mea quam redemisti.

Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Psalmus LXXII.

DEUS, judicium tuum Regi da : et justitiam tuam Filio Regis :

Judicare populum tuum in justitia : et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo : et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum : et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole et ante lunam : in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvias in vellus : et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis : donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes : et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente : et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi : et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum : et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ : et adorabunt de ipso semper ; tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium ; superextolletur super Libanum fructus ejus : et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet Nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israël : qui facit mirabilia solus :

Et benedictum Nomen majestatis ejus in æternum : et replebitur majestate ejus omnis terra ; fiat, fiat.

DIES XIV. Ad Vesperas.

PSALMUS LXXIII.

QUAM bonus Israël Deus : his qui recto sunt corde.

Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos : pacem peccatorum videns.

Quia non est respectus morti eorum : et firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt : et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia : operti sunt iniquitate et impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlum os suum : et lingua eorum transivit in terra.

Ideo convertetur populus meus hic : et dies pleni invenientur in eis.

Et dixerunt, Quomodo scit Deus : et si est scientia in Excelso ?

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo : obtinuerunt divitias.

Et dixi, Ergo sine causa justificavi cor meum : et lavi inter innocentes manus meas :

Et fui flagellatus tota die : et castigatio mea in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Existimabam ut cognoscerem : hoc labor est ante me.

Donec intrem in sanctuarium Dei : et intelligam in novissimis eorum.

Verumtamen propter dolos posuisti eis : dejecisti eos dum allevarentur.

Quomodo facti sunt in desolationem ? subito defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium, Domine : in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt : et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.

Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me : et cum gloria suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo ?

et a te quid volui super terram?

Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam:

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas: in portis filiæ Sion.

Psalmus LXXIV.

UT quid, Deus, repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ: quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto.

Et gloriati sunt qui oderunt te: in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa: et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra: polluerunt tabernaculum Nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus: irritat adversarius Nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam: et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit Nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt Nomen tuum.

Exsurge, Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Dies XV. Ad Matutinas.

Psalmus LXXV.

CONFITEBIMUR tibi, Deus, confitebimur: et invocabimus Nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis, Nolite inique agere: et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat et hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua justi.

Psalmus LXXVI.

NOTUS in Judæa Deus: in Israël magnum Nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias: arcum, scutum, gladium et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob: dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti judicium: terra tremuit et quievit,

Cum exsurgeret in judicium Deus: ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete et reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu ejus affertis munera,

Terribili, et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

Psalmus LXXVII.

VOCE mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ

Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum : et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum ; et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei : turbatus sum et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos : et annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo : et exercitabar et scopebam spiritum meum.

Numquid in æternum projiciet Deus : aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet : a generatione in generationem?

Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum,

Et meditabor in omnibus operibus tuis : et in adinventionibus tuis exercebor.

Deus, in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt : et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum : vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt : vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum : in manu Moysi et Aaron.

DIES XV. Ad Vesperas.

PSALMUS LXXVIII.

ATTENDITE, popule meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio.

Quanta audivimus et cognovimus ea : et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt occultata a filiis eorum : in generatione altera.

Narrantes laudes Domini et virtutes ejus : et mirabilia ejus quæ fecit.

Et suscitavit testimonium in Jacob : et legem posuit in Israël.

Quanta mandavit patribus nostris : nota facere ea filiis suis; ut cognoscat generatio altera;

Filii qui nascentur et exsurgent : et narrabunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam : et non obliviscantur operum Dei ; et mandata ejus exquirant.

Ne fiant sicut patres eorum : generatio prava et exasperans :

Generatio, quæ non direxit cor suum : et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum : conversi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei : et in lege ejus noluerunt ambulare.

Et obliti sunt benefactorum ejus : et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti : in campo Taneos.

Interrupit mare et perduxit eos : et statuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diei : et tota nocte in illuminatione ignis.

Interrupit petram in eremo : et adaquavit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra : et deduxit tanquam flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei : in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso

Et tentaverunt Deum in cordibus suis : ut peterent escas animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo : dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?

Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ : et torrentes inundaverunt.

Numquid et panem poterit dare : aut parare mensam populo suo ?

Ideo audivit Dominus, et distulit : et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israël.

Quia non crediderunt in Deo : nec speraverunt in salutari ejus.

Et mandavit nubibus desuper : et januas cœli aperuit.

Et pluit illis manna ad manducandum : et panem cœli dedit eis.

Panem angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.

Transtulit austrum de cœlo : et induxit in virtute sua africum.

Et pluit super eos sicut pulverem carnes : et sicut arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum : circa tabernacula eorum.

Et manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum : et ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum : et electos Israël impedivit.

In omnibus his peccaverunt adhuc : et non crediderunt in mirabilibus ejus

Et defecerunt in vanitate

dies eorum : et anni eorum cum festinatione.

Cum occideret eos, quærebant eum et revertebantur : et diluculo veniebant ad eum.

Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum : et Deus excelsus redemptor eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo : et lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo : nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum : et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam : et non accendit omnem iram suam :

Et recordatus est quia caro sunt : spiritus vadens et non rediens.

Quoties exacerbaverunt eum in deserto : in iram concitaverunt eum in inaquoso?

Et conversi sunt et tentaverunt Deum : et Sanctum Israël exacerbaverunt.

Non sunt recordati manus ejus : die qua redemit eos de manu tribulantis.

Sicut posuit in Ægypto signa sua : et prodigia sua in campo Taneos.

Et convertit in sanguinem flumina eorum : et imbres eorum, ne biberent.

Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos : et ranam. et disperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus eorum : et labores eorum locustæ.

Et occidit in grandine vineas eorum : et moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini jumenta eorum : et possessionem eorum igni.

Misit in eos iram indignationis suæ : indignationem, et iram, et tribulationem ; immissiones per angelos malos.

Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum : et jumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti : primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oves populum suum : et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ : montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum gentes : et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum : tribus Israël.

Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum : et testimonia ejus non custodierunt.

Et averterunt se, et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitaverunt eum in collibus suis : et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

Audivit Deus, et sprevit : et ad nihilum redegit valde Israël.

Et repulit tabernaculum Silo : tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.

Et tradidit in captivitatem virtutem eorum : et pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum : et hæreditatem suam sprevit.

Juvenes eorum comedit ignis : et virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : et viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus est tanquam dormiens Dominus : tanquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Joseph : et tribum Ephraim non elegit :

Sed elegit tribum Juda : montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum : in terra quam fundavit in sæcula.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum,

Pascere Jacob servum suum : et Israël hæreditatem suam :

Et pavit eos in innoce cordis sui : et in intellect manuum suarum deduxit e

DIES XVI. Ad Matutin

PSALMUS LXXIX.

DEUS, venerunt gente hæreditatem tuam : luerunt templum sanc tuum ; posuerunt Hierus in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina se rum tuorum escas volatili cœli : carnes sanctorum tuo bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eo tanquam aquam in circ Hierusalem : et non erat sepeliret.

Facti sumus opprobrium cinis nostris : subsannatic illusio his qui in circuitu no sunt.

Usquequo, Domine, irasc in finem : accendetur v ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in ger quæ te non noverunt : e regna, quæ Nomen tuum invocaverunt :

Quia comederunt Jacob locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquita nostrarum antiquarum : anticipent nos misericoı tuæ, quia pauperes facti su nimis.

Adjuva nos, Deus, salut noster, et propter gloriam

minis tui, Domine, libera nos : et propitius esto peccatis nostris, propter Nomen tuum :

Ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum ? et innotescat in nationibus coram oculis nostris,

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est : introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui : posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ : confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem : annuntiabimus laudem tuam.

Psalmus LXXX.

QUI regis Israël, intende : qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super cherubim : manifestare coram Ephraïm, Benjamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni : ut salvos facias nos.

Deus, converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum : quousque irasceris super orationem servi tui ?

Cibabis nos pane lacrymarum : et potum dabis nobis in lacrymis in mensura ?

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris : et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum, converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conpectu ejus : plantasti radices ejus, et implevit terram.

Operuit montes umbra ejus : et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare : et usque ad flumen propagines ejus.

Ut quid destruxisti maceriam ejus : et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam ?

Exterminavit eam aper de silva : et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum, convertere : respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua : et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa : ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ : et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te ; vivificabis nos : et Nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum, converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

PSALMUS LXXXI.

EXSULTATE Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in neomenia tuba : in insigni die solemnitatis vestræ :

Quia præceptum in Israël est : et judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti : linguam quam non noverat audivit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus : manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis ; probavi te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, et contestabor te : Israël, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam : et Israël non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me : Israël si in viis meis ambulasset :

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliass[e] tribulantes eos mi[...] meam.

Inimici Domin[...] ei : et erit tem[...] sæcula.

Et cibavit eos [...] menti : et de pet[...] ravit eos.

DIES XVI. [...]

PSALMUS L[...]

DEUS stetit [...] deorum : i[...] deos dijudicat.

Usquequo jud[...] tatem : et facie[...] sumitis?

Judicate egen[...] humilem et pau[...] cate.

Eripite paupere[...] de manu peccato[...]

Nescierunt, ne[...] runt ; in tenebri[...] movebuntur omn[...] terræ.

Ego dixi, Dii [...] Excelsi omnes.

Vos autem [...] moriemini : et [...] principibus cadet[...]

Surge, Deus, j[...] quoniam tu hære[...] nibus gentibus.

PSALMUS L[...]

DEUS, quis si[...] ne taceas, n[...] caris, Deus :

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt : et qui oderunt te extulerunt caput.

Super populum tuum malignaverunt consilium : et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Dixerunt, Venite, et disperdamus eos de gente : et non memoretur nomen Israël ultra.

Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversum te : testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ :

Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot.

Fac illis sicut Madian, et Sisaræ : sicut Jabin in torrente Cison.

Disperierunt in Endor : facti sunt ut stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb : et Zebee, et Salmana.

Omnes principes eorum qui dixerunt : Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam : et sicut stipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit sylvam : et sicut flamma comburens montes :

Ita persequeris illos in tempestate tua : et in ira tua turbabis eos.

Imple facies eorum ignominia : et quærent Nomen tuum, Domine.

Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi : et confundantur, et pereant.

Et cognoscant quia Nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus in omni terra.

Psalmus LXXXIV.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea : exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum et turtur nidum sibi : ubi ponat pullos suos :

Altaria tua, Domine virtutum : Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator ; ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus : et respice in faciem Christi tui :

Quia melior est dies una in atriis tuis : super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Psalmus LXXXV.

BENEDIXISTI, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam:

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Dies XVII. Ad Matutinum.

Psalmus LXXXVI.

INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; lætifica animam servi tui: quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt Nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate

cor meum ut
ı tuum.
ibi, Domine Deus
› corde meo : et
'omen tuum in

cordia tua magna
et eruisti animam
no inferiori.
ui insurrexerunt
synagoga poten-
ıt animam meam :
uerunt te in con-

ıine Deus, mise-
.cors : patiens, et
ordiæ, et verax,
me et miserere
:rium tuum puero
m fac filium an-

ı signum in bo-
:ant qui oderunt
dantur : quoniam
adjuvisti me, et
me.

LXXXVII.

IENTA ejus in
us sanctis : diligit
rtas Sion super
ıcula Jacob.
icta sunt de te :

Rahab et Baby-
ıum te.
genæ et Tyrus et
opum : hi fuerunt

ion dicet, Homo,
ıs est in ea : et
eam Altissimus ?
.arrabit in scrip-

turis populorum : et principum horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium : habitatio est in te.

Psalmus LXXXVIII.

DOMINE Deus salutis meæ : in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam :

Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati, dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus : et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine : tota die expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam :

et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: et avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ: et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum: et notos meos a miseria.

DIES XVII. Ad Vesperas.

Psalmus LXXXIX.

MISERICORDIAS Domini: in æternum cantabo.

In generationem et generationem: annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur in cœlis: præparabitur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis: juravi David servo meo, Usque in æternum præparabo semen tuum:

Et ædificabo in generationem et generationem: sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

Deus qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra: orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti; aquilonem et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in Nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in Nomine tuo exsultabunt tota die: et in justitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio

sanctı Israël regis

utus es in visione
: et dixisti, Posui
ın potente, et exal-
de plebe mea.
ıvid servum meum :
meo unxi eum.
ıim mea auxiliabi-
achium meum con-
ı.
ɔficiet inimicus in
us iniquitatis non
ere ei.
lam a facie ipsius
s : et odientes eum
nvertam.
mea et misericor-
n ipso : et in No-
exaltabitur cornu

ı in mari manum
uminibus dexteram

ocabit me, Pater
Deus meus, et sus-
s meæ.
mogenitum ponam
lsum præ regibus

m servabo illi mise-
eam : et testamen-
idele ipsi.
in sæculum sæculi
: et thronum ejus
li.
dereliquerint filii
meam : et in judi-
non ambulave-

s meas profanave-
ıdata mea non cus-

n virga iniquitates

eorum : et in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo : neque nocebo in veritate mea :

Neque profanabo testamentum meum : et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo : et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti : distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui : profanasti in terra sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum : lætificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adjutorium gladii ejus : et non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione : et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.

Usquequo, Domine, avertis in finem : exardescet sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine : sicut jurasti David in veritate tua?

Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum : (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine : quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum : fiat, fiat.

DIES XVIII. Ad Matutinas.

PSALMUS XC.

DOMINE, refugium factus es nobis : a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis : a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem : et dixisti, Convertimini filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos : tanquam dies hesterna, quæ præteriit,

Et custodia in nocte : quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat : vespere decidat, induret, et arescat.

Quia defecimus in ira tua : et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni : et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo : et corripiemur.

Quis novit potestatem iræ tuæ : et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac : et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine, usquequo : et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti : annis quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos et in opera tua : et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos; et opera manuum nostrarum dirige super nos : et opus manuum nostrarum dirige.

PSALMUS XCI.

QUI habitat in adjutorio Altissimi : in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno,

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Psalmus XCII.

BONUM est confiteri Domino: et psallere Nomini tuo, Altissime;

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam: et veritatem tuam per noctem.

In decachordo psalterio: cum cantico, in cithara.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exsultabo.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget hæc.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem:

Ut intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum, Domine.

Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: et senectus mea in misericordia uberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos: et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Plantati in domo Domini : in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et bene patientes erunt, ut annuntient,

Quoniam rectus Dominus Deus noster : et non est iniquitas in eo.

DIES XVIII. Ad Vesperas.

PSALMUS XCIII.

DOMINUS regnavit; decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ: qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine : elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos : a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

PSALMUS XCIV.

DEUS ultionum Dominus : Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram : redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine : usquequo peccatores gloriabuntur :

Effabuntur, et loquentur iniquitatem : loquentur omnes, qui operantur injustitiam ?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt : et hæreditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt : et pupillos occiderunt.

Et dixerunt, Non videbit Dominus : nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo : et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat ?

Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam ?

Dominus scit cogitationes hominum : quoniam vanæ sunt.

Beatus homo quem tu erudieris, Domine : et de lege tua docueris eum :

Ut mitiges ei a diebus malis : donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam : et hæreditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium : et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?

Nisi quia Dominus adjuvit me : paulominus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, Motus est pes

meus : misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis : qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam justi : et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium : et Deus meus in adjutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dominus Deus noster.

DIES XIX. Ad Matutinas.

PSALMUS XCV.

VENITE, exsultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem ejus in confessione : et in psalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus : et rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ : et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud : et siccam manus ejus formaverunt.

Venite adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster :

Et nos populus pascuæ ejus : et oves manus ejus.

Hodie si vocem ejus audieritis : nolite obdurare corda vestra;

Sicut in irritatione : secundum diem tentationis in deserto.

Ubi tentaverunt me patres vestri : probaverunt me, et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi : et dixi, Semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

PSALMUS XCVI.

CANTATE Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite Nomini ejus : annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominum autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam Nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exsultet terra ; commoveatur mare, et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate : et populos in veritate sua.

Psalmus XCVII.

DOMINUS regnavit, exsultet terra : lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet : et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulachris suis.

Adorate eum omnes angeli ejus : audivit, et lætata est Sion.

Et exsultaverunt filiæ Judæ : propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo : et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino : et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Dies XIX. Ad Vesperas.

Psalmus XCVIII.

CANTATE Domino canticum novum : quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ : et veritatis suæ domui Israël.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri : jubilate Deo omnis terra ; cantate et exsultate et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu regis Domini : moveatur mare, et plenitudo ejus ; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, si-

mul montes exsultabunt, a conspectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia : et populos in æquitate.

Psalmus XCIX.

DOMINUS regnavit, irascantur populi : qui sedet super cherubim, moveatur terra.

Dominus in Sion magnus : et excelsus super omnes populos.

Confiteantur Nomini tuo magno; quoniam terribile et sanctum est : et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus : quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant Nomen ejus :

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus: et præceptum quod dedit illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuisti eis : et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Psalmus C.

JUBILATE Deo omnis terra : servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus : in exsultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione : atria ejus in hymnis; confitemini illi.

Laudate Nomen ejus, quoniam suavis est Dominus; in æternum misericordia ejus : et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Psalmus CI.

MISERICORDIAM et judicium : cantabo tibi, Domine.

Psallam et intelligam in via immaculata : quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei : in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam.

Detrahentem secreto proximo suo : hunc persequebar.

Superbo oculo, et insatiabili corde : cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes inquitatem.

Dies XX. Ad Matutinas.

Psalmus CII.

DOMINE, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ et indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut arui.

Tu autem, Domine, i num permanes: et me tuum in generationem e rationem.

Tu exsurgens mis Sion: quia tempus m ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt tuis lapides ejus: et ter miserebuntur.

Et timebunt gentes tuum, Domine: et omn terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit D Sion: et videbitur in sua.

Respexit in orationem lium: et non sprevit eorum.

Scribantur hæc in tione altera: et popul creabitur, laudabit Dom

Quia prospexit de sancto suo: Dominus in terram aspexit;

Ut audiret gemitus co torum: ut solveret filio emptorum:

Ut annuntient in Si men Domini: et laude in Hierusalem.

In conveniendo pop unum: et reges ut Domino.

Respondit ei in via suæ: paucitatem dieru rum nuntia mihi.

Ne revoces me in dierum meorum: in ger nem et generationem tui.

Initio tu, Domine,

fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur.

Psalmus CIII.

BENEDIC, anima mea, Domino : et omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus : et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israël voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus : longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostra retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra : corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : homo sicut fœnum dies ejus ; tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno : et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum : his qui servant testamentum ejus ;

Et memores sunt mandatorum ipsius : ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino, omnes angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino, omnia virtutes ejus : ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnes opera ejus : in omni loco dominationis ejus ; benedic, anima mea, Domino.

Dies XX. Ad Vesperas.

PSALMUS CIV.

BENEDIC, anima mea, Domino : Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti : amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem : qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos spiritus : et ministros tuos ignem urentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes ; et descendunt campi : in locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram.

Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ.

Potabunt omnes bestiæ agri : exspectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis : de fructu ope
tuorum satiabitur terra.

Producens fœnum jumer
et herbam servituti hominu

Ut educas panem de te
et vinum lætificet cor homi

Ut exhilaret faciem in o
et panis cor hominis confir

Saturabuntur ligna camp
cedri Libani, quas planta
illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est
rum : montes excelsi cer
petra refugium herinaciis.

Fecit lunam in tempora
cognovit occasum suum.

Posuisti tenebras, et f
est nox : in ipsa pertransi
omnes bestiæ sylvæ.

Catuli leonum rugiente
rapiant : et quærant a
escam sibi.

Ortus est sol, et congr
sunt : et in cubilibus suis
locabuntur.

Exibit homo ad opus su
et ad operationem suam u
ad vesperum.

Quam magnificata sunt o
tua, Domine : omnia in sa
tia fecisti ; impleta est t
possessione tua.

Hoc mare magnum, et
tiosum manibus : illic rep
quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum r
nis : illic naves pertransibu

Draco iste, quem form
ad illudendum ei : omnia
exspectant ut des illis esca
tempore.

Dante te illis, collige
aperiente te manum tuam,
nia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum : lætabitur Dominus in operibus suis :

Qui respicit terram, et facit eam tremere : qui tangit montes, et fumigant.

Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum : ego vero delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint : benedic, anima mea, Domino.

DIES XXI. Ad Matutinas.

PSALMUS CV.

CONFITEMINI Domino, et invocate Nomen ejus : annuntiate inter gentes opera ejus.

Cantate ei et psallite ei : narrate omnia mirabilia ejus ; laudamini in Nomine sancto ejus.

Lætetur cor quærentium Dominum ; quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.

Mementote mirabilium ejus, quæ fecit : prodigia ejus et judicia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : filii Jacob electi ejus.

Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.

Memor fuit in sæculum testamenti sui : verbi quod mandavit in mille generationes.

Quod disposuit ad Abraham : et juramenti sui ad Isaac :

Et statuit illud Jacob in præceptum : et Israël in testamemtum æternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan : funiculum hæreditatis vestræ.

Cum essent numero brevi : paucissimi, et incolæ ejus.

Et pertransierunt de gente in gentem : et de regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis : et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos : et in prophetis meis nolite malignari.

Et vocavit famem super terram : et omne firmamentum panis contrivit.

Misit ante eos virum : in servum venundatus est Joseph.

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus : donec veniret verbum ejus.

Eloquium Domini inflammavit eum : misit rex, et solvit eum ; princeps populorum, et dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ : et principem omnis possessionis suæ.

Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum : et senes ejus prudentiam doceret.

Et intravit Israël in Ægyp-

tum : et Jacob accola fuit in terra Cham.

Et auxit populum suum vehementer : et firmavit eum super inimicos ejus.

Convertit cor eorum ut odirent populum ejus : et dolum facerent in servos ejus.

Misit Moysen servum suum : Aaron, quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum : et prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras et obscuravit : et non exacerbavit sermones suos.

Convertit aquas eorum in sanguinem : et occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas : in penetralibus regum ipsorum.

Dixit, et venit cœnomyia et ciniphes : in omnibus finibus eorum.

Posuit pluvias eorum grandinem : ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum : et contrivit lignum finium eorum.

Dixit et venit locusta et bruchus : cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum in terra eorum : et comedit omnem fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro : et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus in profectione eorum : quia incubuit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectionem eorum : et ignem ut luceret eis per noctem.

Petierunt, et venit coturnix : et pane cœli saturavit eos.

Dirupit petram et fluxerunt aquæ : abierunt in sicco flumina:

Quoniam memor fuit verbi sancti sui : quod habuit ad Abraham puerum suum.

Et eduxit populum suum in exsultatione : et electos suos in lætitia.

Et dedit illis regiones gentium : et labores populorum possederunt:

Ut custodiant justificationes ejus : et legem ejus requirant.

DIES XXI. Ad Vesperas.

PSALMUS CVI.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Quis loquetur potentias Domini : auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam : in omni tempore.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ : ut lauderis cum hæreditate tua.

Peccavimus cum patribus

nostris : injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaverunt ascendentes in mare : mare Rubrum.

Et salvavit eos propter Nomen suum : ut notam faceret potentiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est : et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Et salvavit eos de manu odientium : et redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua tribulantes eos : unus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbis ejus : et laudaverunt laudem ejus.

Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus : et non sustinuerunt consilium ejus.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto : et tentaverunt Deum in inaquoso.

Et dedit eis petitionem ipsorum : et misit saturitatem in animas eorum.

Et irritaverunt Moysen in castris : Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et deglutivit Dathan : et operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum : flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Horeb : et adoraverunt sculptile.

Et mutaverunt gloriam suam : in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui salvavit eos : qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Et dixit ut disperderet eos : si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis : non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos : ut prosterneret eos in deserto :

Et ut dejiceret semen eorum in nationibus : et dispergeret eos in regionibus.

Et initiati sunt Beelphegor : et comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : et multiplicata est in eis ruina.

Et stetit Phinees, et placavit : et cessavit quassatio.

Et reputatum est ei in justitiam : in generationem et generationem usque in sempiternum.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos ; quia exacerbaverunt spiritum ejus :

Et distinxit in labiis suis : non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.

Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera

eorum; et servierunt sculptilibus eorum: et factum est illis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos: et filias suas dæmoniis.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum: quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum: et fornicati sunt in adinventionibus suis.

Et iratus est furore Dominus in populum suum: et abominatus est hæreditatem suam.

Et tradidit eos in manus gentium: et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et tribulaverunt eos inimici eorum: et humiliati sunt sub manibus eorum; sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit cum tribularentur: et audivit orationem eorum.

Et memor fuit testamenti sui: et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias: in conspectu omnium qui ceperant eos.

Salvos nos fac, Domine Deus noster: et congrega nos de nationibus:

Ut confiteamur Nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo et usque in sæculum: et dicet omnis populus, Fiat, fiat.

Dies XXII. Ad Matutinas.

Psalmus CVII.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt a Domino: quos redemit de manu inimici; et de regionibus congregavit eos:

A solis ortu et occasu: ab aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt,

Esurientes, et sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris et umbra mortis: vinctos in mendicitate et ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei: et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum

ɔularentur : et de ne-
ɔus eorum liberavit

ıxit eos de tenebris et
ortis : et vincula eorum

eantur Domino mise-
ejus : mirabilia ejus
ıinum.
:ontrivit portas æreas :
ferreos confregit.
ɔit eos de via iniqui-
ım : propter injustitias
s humiliati sunt.
m escam abominata est
rum : et appropinqua-
ɔque ad portas mortis.
maverunt ad Dominum
ɔularentur : et de ne-
ɔus eorum liberavit

verbum suum, et sana-
et eripuit eos de in-
ɔus eorum.
eantur Domino miseri-
jus : et mirabilia ejus
ıinum.
acrificent sacrificium
et annuncient opera
ısultatione.
escendunt mare in na-
facientes operationem
multis.
derunt opera Domini :
ilia ejus in profundo.
et stetit spiritus pro-
et exaltati sunt fluctus

dunt usque ad cœlos,
ndunt usque ad abys-
ıima eorum in malis
at.
ti sunt, et moti sunt

sicut ebrius : et omnis sapientia eorum devorata est.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram : et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis : et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum : et exitus aquarum in sitim :

Terram fructiferam in salsuginem : a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum : et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes : et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas : et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt : et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Effusa est contemptio super principes : et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia : et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens et custodiet hæc : et intelliget misericordias Domini ?

DIES XXII. Ad Vesperas.

PSALMUS CVIII.

PARATUM cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo, et psallam in gloria mea.

Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara : exsurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine : et psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cœlos misericordia tua : et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua : ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exaudi me : Deus locutus est in sancto suo.

Exsultabo, et dividam Sichimam : et convallem tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraïm susceptio capitis mei.

Juda rex meus : Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ amici facti sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam : quis deducet me usque in Idumæam ?

Nonne tu Deus, qui repulisti nos : et non exibis Deus in virtutibus nostris ?

Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

PSALMUS CIX.

DEUS, laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa : et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis : et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorem : et diabolus stet a dextris ejus.

Cum judicatur, exeat condemnatus : et oratio ejus fiat in peccatum.

Fiant dies ejus pauci : et episcopatum ejus accipiat alter.

Fient filii ejus orphani : et uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus et mendicent : et ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem

substantiam ejus : et diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor : nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini : et peccatum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum : pro eo quod non est recordatus facere misericordiam :

Et persecutus est hominem inopem et mendicum : et compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum : et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur : et sicut zona qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum : et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter Nomen tuum : quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus et pauper ego sum : et cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra cum declinat ablatus sum : et excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a jejunio : et caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis : viderunt me, et moverunt capita sua.

Adjuva me, Domine Deus meus : salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : et tu, Domine, fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices : qui insurgunt in me, confundantur ; servus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi pudore : et operiantur sicut diploide confusione sua.

Confitebor Domino nimis in ore meo : et in medio multorum laudabo eum.

Quia astitit a dextris pauperis : ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

DIES XXIII. Ad Matutinas.

PSALMUS CX.

DIXIT Dominus Domino meo : Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos : scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion ; dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ; ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus ; implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

PSALMUS CXI.

CONFITEOR tibi, Domine, in toto corde meo : in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum ; misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui : virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

Ut det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus : confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile Nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum ; laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

PSALMUS CXII.

BEATUS vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis : misericors, et miserator, et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat ; disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino ; confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus ; justitia ejus manet in sæculum sæculi : cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur ; dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.

PSALMUS CXIII.

LAUDATE pueri Dominum : laudate Nomen Domini.

Sit Nomen Domini benedictuum : ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : laudabile Nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : et humilia respicit in cœlo et in terra?

Suscitans a terra inopem : et de stercore erigens pauperem :

Ut collocet eum cum principibus : cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : matrem filiorum lætantem.

Dies XXIII. Ad Vesperas.

Psalmus CXIV.

In exitu Israël de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro :

Facta est Judæa sanctificatio ejus : Israël potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exsultaverunt ut arietes : et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi, mare, quod fugisti : et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exsultastis sicut arietes : et colles sicut agni ovium?

A facie Domini mota est terra : a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum : et rupem in fontes aquarum.

Psalmus CXV.

Non nobis, Domine, non nobis : sed Nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua : nequando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo : omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulachra gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum speraverunt in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri : et benedixit nobis.

Benedixit domui Israël : benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum : pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos : super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino : qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine : neque omnes, qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus benedicimus Domino : ex hoc nunc et usque in sæculum.

DIES XXIV. Ad Matutinas.

PSALMUS CXVI.

DILEXI, quoniam exaudiet Dominus : vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi : et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis : et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni : et Nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam ; misericors Dominus, et justus : et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis : pedes meos a lapsu.

Placebo Domino : in regione vivorum.

Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam : et Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea ; tibi sacrificabo hostiam laudis : et Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui, Hierusalem.

PSALMUS CXVII.

LAUDATE Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi :

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.

Psalmus CXVIII.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum : quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino : quam confidere in homine :

Bonum est sperare in Domino : quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me : et in Nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me : et in Nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : et in Nomine Domini quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem : et Dominus suscepit me.

Fortitudo mea et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem.

Vox exsultationis et salutis : in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam : et narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus : et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini ; justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me : et factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud : et est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus et lætemur in ea.

O Domine, salvum me fac, O Domine, bene prosperare : benedictus qui venit in Nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini : Deus Dominus, et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis : usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me : et factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam

bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

DIES XXIV. Ad Vesperas.

PSALMUS CXIX.

BEATI immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia ejus : in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem : in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti : mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigentur viæ meæ : ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar : cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis : in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque.

IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.

In labiis meis pronuntiavi ; omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum : sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor : et considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos.

RETRIBUE servo tuo ; vivifica me : et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas : in omni tempore.

Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium, et contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ.

ADHÆSIT pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum

instrue me : et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me : et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis, Domine : noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri : cum dilatasti cor meum.

DIES XXV. Ad Matutinas.

LEGEM pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum : et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua : et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum : in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

ET veniat super me misericordia tua, Domine : salutare suum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper : in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum : et non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis : quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi : et exercebar in justificationibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo : in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine : et consolatus sum.

Defectio tenuit me : pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justifi-

cationes tuæ : in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte Nominis tui, Domine : et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

PORTIO mea, Domini : dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas et converti pedes meos : in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi : super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te : et custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, plena est terra : justificationes tuas doce me.

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domine : secundum verbum tuum.

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui : super millia auri et argenti.

DIES XXV. Ad Vesperas.

MANUS tuæ fecerunt me et plasmaverunt me : da mihi intellectum, et discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me : secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te : et qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis : ut non confundar.

IT in salutare tuum
.a mea : et in ver-
tuum supersperavi.
ıt oculi mei in elo-
: dicentes, Quando
me?
ıs sum sicut uter in
ıstificationes tuas
.itus.
.t dies servi tui :
s de persequentibus
ı?
ınt mihi iniqui fa-
sed non ut lex tua.
ındata tua veritas :
:cuti sunt me, ad-

us consummaverunt
. : ego autem non
.ndata tua.
n misericordiam
ı me : et custodiam
ris tui.

ım, Domine : ver-
tuum permanet in

ıtionem et genera-
tas tua : fundasti
ermanet.
ne tua perseverat
am omnia serviunt

lex tua meditatio
ınc forte periissem
ɜ mea.
ım non obliviscar
:s tuas : quia in
sti me.
ı ego, salvum me
am justificationes
ri.
:ctaverunt peccato-

res ut perderent me : testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

QUOMODO dilexi legem tuam, Domine : tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi : quia mandata tua quæsivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos : ut custodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

DIES XXVI. Ad Matutinas.

LUCERNA pedibus meis verbum tuum : et lumen semitis meis.

Juravi et statui : custodire judicia justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque, Domine : vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine : et judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis

semper : et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exsultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum : propter retributionem.

INIQUOS odio habui : et legem tuam dilexi.

Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum supersperavi.

Declinate a me maligni : et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea.

Adjuva me, et salvus ero : et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.

FECI judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt i
tare tuum : et in eloquiu
titiæ tuæ.

Fac cum servo tuo sec
misericordiam tuam : et
ficationes tuas doce me.

Servus tuus sum eg
mihi intellectum ut scia
timonia tua.

Tempus faciendi, Do
dissipaverunt legem tuan

Ideo dilexi mandata
super aurum et topazion.

Propterea ad omnia m
tua dirigebar : omnem
iniquam odio habui.

MIRABILIA test
tua : ideo scrut
ea anima mea.

Declaratio sermonum
illuminat : et intellectu
parvulis.

Os meum aperui, et
spiritum : quia manda
desiderabam.

Aspice in me et m
mei : secundum judiciu
gentium Nomen tuum.

Gressus meos dirige
dum eloquium tuum :
dominetur mei omnis
titia.

Redime me a calum
minum : ut custodiam m
ta tua.

Faciem tuam illumina
servum tuum : et doce m
tificationes tuas.

Exitus aquarum dedu
oculi mei : quia non cu
runt legem tuam.

Domine : et
cium tuum.
justitiam tes-
eritatem tuam

: fecit zelus
iti sunt verba

ium tuum ve-
ervus tuus di-

s sum ego, et
justificationes
litus.
stitia in æter-
veritas.
angustia inve-
ndata tua me-

monia tua in
ctum da mihi,

Ad Vesperas.

in toto corde
udi me, Domi-
es tuas requi-

e ; salvum me
iam mandata

maturitate, et
in verba tua

oculi mei ad te
itarer eloquia

audi secundum
iam, Domine :
udicium tuum

verunt perse-

quentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Domine : et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis : quia in æternum fundasti ea.

VIDE humilitatem meam, et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

Judicia judicium meum, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

Longe a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

PRINCIPES persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui et abominatus sum : legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi : super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam : et non est illis scandalum.

Exspectabam salutare tuum, Domine : et mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua : et dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

APPROPINQUET deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum : cum docueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum, Domine : et lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

PSALMUS CXX

AD Dominum cum larer clamavi : divit me.

Domine, libera anim am a labiis iniquis : et dolosa.

Quid detur tibi, a apponatur tibi : ad dolosam ?

Sagittæ potentis acu carbonibus desolatoriis

Heu mihi, quia i meus prolongatus est; cum habitantibus Ceda tum incola fuit anima 1

Cum his qui oderun eram pacificus : cum illis, impugnabant me

PSALMUS CXX

LEVAVI oculos 1 montes : und auxilium mihi.

Auxilium meum a I qui fecit cœlum et terr

Non det in comm pedem tuum : neque qui custodit te.

Ecce non dormitab dormiet : qui custodit

Dominus custodit t nus protectio tua : su num dexteram tuam.

Per diem sol non neque luna per nocten

Dominus custodit te malo : custodiat anim Dominus.

Dominus custodiat i

tuum et exitum tuum : ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Psalmus CXXII.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri : in atriis tuis Hierusalem.

Hierusalem quæ ædificatur ut civitas : cujus participatio ejus in idipsum :

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : testimonium Israël ad confitendum Nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio : sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem : et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua : et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos : loquebar pacem de te :

Propter domum Domini Dei nostri : quæsivi bona tibi.

Psalmus CXXIII.

AD te levavi oculos meos : qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum : in manibus dominorum suorum :

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione :

Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus : et despectio superbis.

Psalmus CXXIV.

NISI quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël : nisi quia Dominus erat in nobis :

Cum exsurgerent homines in nos : forte vivos deglutissent nos :

Cum irasceretur furor eorum in nos : forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra : forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos : in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est : de laqueo venantium :

Laqueus contritus est : et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini : qui fecit cœlum et terram.

Psalmus CXXV.

QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui :

ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum : ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine : bonis et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : pax super Israël.

DIES XXVII. Ad Vesperas.

PSALMUS CXXVI.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion : facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exsultatione.

Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram : sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrymis : in exsultatione metent.

Euntes ibant et flebant : mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exsultatione : portantes manipulos suos.

PSALMUS CXXVII.

NISI Dominus ædificaverit domum : in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem : frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Domini, filii ; merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

PSALMUS CXXVIII.

BEATI omnes, qui timent Dominum : qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans : in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum : in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo : qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : pacem super Israël.

PSALMUS CXXIX.

SÆPE expugnaverunt me a juventute mea : dicat nunc Israël.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum : confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum : quod priusquam evellatur exaruit.

De quo non implevit manum suam qui metit : et sinum suum qui manipulos colligit :

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos : benediximus vobis in Nomine Domini.

Psalmus CXXX.

De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël : ex omnibus iniquitatibus ejus.

Psalmus CXXXI.

Domine, non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis : neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua : ita retributio in anima mea.

Speret Israël in Domino : ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Dies XXVIII. Ad Matutinas.

Psalmus CXXXII.

Memento, Domine, David : et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Jacob :

Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei :

Si dedero somnum oculis meis : palpebris meis dormitationem ;

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino : tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis sylvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Domine, in requiem

tuam : tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam : et sancti tui exsultent.

Propter David servum tuum : non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum : et testimonia mea hæc quæ docebo eos ;

Et filii eorum usque in sæculum : sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo ; quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exsultatione exsultabunt.

Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Psalmus CXXXIII.

ECCE quam bonum et quam jucundum : habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite : quod descendit in barbam, barbam Aaron :

Quod descendit in oram vestimenti ejus : sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem : et vitam usque in sæculum.

Psalmus CXXXIV.

ECCE nunc benedicite Dominum : omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini : in atriis domus Dei nostri,

In noctibus extollite manus vestras in sancta : et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion : qui fecit cœlum et terram.

Psalmus CXXXV.

LAUDATE Nomen Domini : laudate servi Dominum.

Qui statis in domo Domini : in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus : psallite Nomini ejus, quoniam suave.

Quoniam Jacob elegit sibi Dominus : Israël in possessionem sibi.

Quia ego cognovi quod magnus est Dominus : et Deus noster præ omnibus diis.

Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra : in mari, et in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de the-

sauris suis : qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte : in Pharaonem et in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas : et occidit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan : et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem : hæreditatem Israël populo suo.

Domine, Nomen tuum in æternum : Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.

Quia judicabit Dominus populum suum : et in servis suis deprecabitur.

Simulachra gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël, benedicite Domino : domus Aaron, benedicite Domino.

Domus Levi, benedicite Domino : qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Benedictus Dominus ex Sion : qui habitat in Hierusalem.

Dies XXVIII. Ad Vesperas.

Psalmus CXXXVI.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo deorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui facit mirabilia magna solus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit cœlos in intellectu : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui firmavit terram super aquas : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit luminaria magna : quoniam in æternum misericordia ejus.

Solem in potestatem diei : quoniam in æternum misericordia ejus.

Lunam et stellas in potestatem noctis : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui eduxit Israël de medio eorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

In manu potenti et brachio excelso : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et eduxit Israël per medium ejus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui traduxit populum suum per desertum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui percussit reges magnos : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et occidit reges fortes : quoniam in æternum misericordia ejus.

Sehon regem Amorrhæorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et Og regem Basan : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam in æternum misericordia ejus.

Hæreditatem Israël servo suo : quoniam in æternum misericordia ejus.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quoniam in æternum misericordia ejus.

Et redemit nos ab inimicis nostris : quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui dat escam omni carni : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Psalmus CXXXVII.

SUPER flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus : cum recordaremur Sion.

In salicibus in medio ejus : suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos : qui captivos duxerunt nos, verba cantionum :

Et qui abduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini : in terra aliena?

Si oblitus fuero tui, Hierusalem : oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis : si non meminero tui :

Si non proposuero Hierusalem : in principio lætitiæ meæ.

Memor esto, Domine, filiorum Edom : in die Hierusalem ;

Qui dicunt, Exinanite, exinanite : usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera : beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit : et allidet parvulos tuos ad petram.

Psalmus CXXXVIII.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad tem-

plum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo.

Super misericordia tua et veritate tua : quoniam magnificasti super omne Nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini : quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit : et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me ; Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.

Dies XXIX. Ad Matutinas.

Psalmus CXXXIX.

DOMINE, probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo : et habitavero in extremis maris ;

Etenim illuc manus tua deducet me : et tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super

arenam multiplicabuntur : exsurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores : viri sanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam ?

Perfecto odio oderam illos : et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.

Psalmus CXL.

ERIPE me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde : tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris : et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino, Deus meus es tu : exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.

Domine, Domine, virtus salutis meæ : obumbrasti su caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, desiderio meo peccatori : cc taverunt contra me ; ne de linquas me, ne forte exalten

Caput circuitus eorum : la labiorum ipsorum operiet ec

Cadent super eos carbo in ignem dejicies eos : in m riis non subsistent.

Vir linguosus non dirig in terra : virum injustum n capient in interitu.

Cognovi quia faciet Domi judicium inopis : et vindic pauperum.

Verumtamen justi con buntur nomini tuo : et hab bunt recti cum vultu tuo.

Psalmus CXLI.

DOMINE, clamavi ad exaudi me : intende meæ, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea s incensum in conspectu t elevatio manuum mearum crificium vespertinum.

Pone, Domine, custod ori meo : et ostium circ stantiæ labiis meis.

Non declines cor meum verba malitiæ : ad excusar excusationes in peccatis.

Cum hominibus operanti iniquitatem : et non comm cabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in m ricordia, et increpabit n oleum autem peccatoris impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et or

mea in beneplacitis eorum : absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt : sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : quia ad te, Domine, Domine, oculi mei ; in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi : et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in reticulo ejus peccatores : singulariter sum ego donec transeam.

DIES XXIX. Ad Vesperas.

PSALMUS CXLII.

VOCE me ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum : et tu cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam : absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine ; dixi, Tu es spes mea : portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam : quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum Nomini tuo : me exspectant justi, donec retribuas mihi.

PSALMUS CXLIII.

DOMINE, exaudi orationem meam ; auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : et anxiatus est super me spiritus meus ; in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum ; meditatus sum in omnibus operibus tuis : in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine : defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me : et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in

qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine ; ad te confugi : donec me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter Nomen tuum, Domine, vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego servus tuus sum.

DIES XXX. Ad Matutinas.

PSALMUS CXLIV.

BENEDICTUS Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium : et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et refugium meum : susceptor meus, et liberator meus.

Protector meus, et in ipso speravi : qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei ? aut filius hominis, quia reputas eum ?

Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt.

Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt.

Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto ; eripe me, et libera me de aquis multis : de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus, canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus : qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me :

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum dextera iniquitatis :

Quorum filii, sicut novellæ plantationes : in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ : circumornatæ ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus : neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

PSALMUS CXLV.

EXALTABO te, Deus, meus Rex : et benedicam Nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi : et laudabo Nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio et generatio laudabit opera tua : et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur : et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent : et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt : et justitia tua exsultabunt.

Miserator et misericors Dominus : patiens et multum misericors.

Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua : et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur :

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam ; et gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis : et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt : et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam ; et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis : et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet : et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se : et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro Nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Psalmus CXLVI.

LAUDA, anima mea, Dominum ; laudabo Dominum in vita mea : psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus : in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram : mare, et omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum ; facit judicium injuriam patientibus : dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos : Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos : Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas; pupillum et viduam suscipiet: et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula; Deus tuus, Sion: in generationem et generationem.

DIES XXX. Ad Vesperas.

PSALMUS CXLVII.

LAUDATE Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

Ædificans Hierusalem Dominus: dispersiones Israëlis congregabit.

Qui sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum: et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Lauda, Hierusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias et judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: et judicia sua non manifestavit eis. Alleluia.

PSALMUS CXLVIII.

LAUDATE Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes angeli ejus: laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna: laudate eum, omnes stellæ et lumen.

Laudate eum, cœli cœlorum: et aquæ omnes, quæ super

cœlos sunt, laudent Nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra : dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora : serpentes, et volucres pennatæ :

Reges terræ, et omnes populi : principes et omnes judices terræ.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent Nomen Domini : quia exaltatum est Nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Alleluia.

Psalmus CXLIX.

CANTATE Domino canticum novum : laus ejus in ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo qui fecit eum : et filii Sion exsultent Rege suo.

Laudent Nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei :

Quia beneplacitum est Domino in populo suo : et exaltabit mansuetos in salutem.

Exsultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum : et gladii ancipites in manibus eorum :

Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus : et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluia.

Psalmus CL.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus ; laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

Preces in Usum Navigantium.

Officium Matutinum et Vespertinum in Navibus quotidie recitandum idem sit quod in Libro Precum Publicarum præscriptum est.

Præterea, Orationes duæ sequentes in Navibus Regiæ Majestatis quotidie recitandæ sunt.

DOMINE Deus æterne, qui solus extendis cœlum, et dominaris potestati maris; qui terminum circumdedisti aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ: Dignare, quæsumus, in clementissimam et omnipotentem tutelam tuam suscipere nos famulos tuos, et classem in qua meremus. Custodi nos a periculis maris, et a violentia inimici: ut serenissimæ Reginæ nostræ Victoriæ et terris ejus præsidio simus, et omnes qui in negotiis suis justis gerendis mare transeant, securiores reddamus: quatenus insulæ nostræ incolæ in pace et tranquillitate tibi Deo nostro serviant, et nos incolumes domum redeamus ut bonis terræ fruamus, fructum nostri laboris referentes, et misericordiarum tuarum memores sanctum Nomen tuum laudemus et glorificemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Oratio.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur, quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Orationes inter Maris Tempestates dicendæ.

DOMINE Deus, potentissime et gloriosissime, qui dixisti, et steterunt spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus maris, qui etiam motum fluctuum ejus mitigas: Nos creaturæ tuæ, miseri autem peccatores, in hac magna necessitate nostra auxilium tuum imploramus. Auxiliare, Domine, ne pereamus. Confitemur quod in tempore securitatis et tranquillitatis tui obliviscebamur Dei nostri et verbi tui lenem vocem au-

dire, et mandatis tuis obtemperare nolebamus. Nunc autem satis intelligimus te in mirabilibus tuis terribilem esse, magnum Deum super omnia timendum. Igitur Divinam Majestatem tuam adoramus, potestatem agnoscimus, bonitatem deposcimus. Adjuva nos, Domine, et salvos nos fac, propter misericordiam tuam in Jesu Christo Filio tuo Domino nostro. *Amen.*

Sive;

DOMINE Deus gloriosissime et clementissime, qui in altis habitas, et omnia humilia respicis: Respice, quæsumus, de cœlo, et exaudi nos de profundis miseriæ clamantes, et de faucibus hujus mortis jam ad deglutiendum nos paratæ. Auxiliare, Domine, ne pereamus. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi. Da mandatum tuum in increpationem ventorum vehementium et maris immugientis: ut nos, ab ista tribulatione liberati, vivamus ad serviendum tibi et ad glorificandum Nomen tuum omnibus diebus vitæ nostræ. Exaudi, Domine, et salva nos, propter infinita merita beatissimi Salvatoris nostri, Filii tui, Domini Jesu Christi. *Amen.*

Oratio ante pugnam navalem dicenda.

DOMINE Deus, potentissime et gloriosissime, Domine exercituum, qui omnia regis et gubernas: Sedisti super thronum qui judicas justitiam; nos igitur in hac necessitate nostra Divinam majestatem tuam invocamus, rogantes ut causam ipse suscipias, et inter nos et hostes nostros judices. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos; non enim semper das cursum esse velocium; potes autem salvare vel in multis vel in paucis. Ne clament peccata nostra hoc tempore ad te in ultionem; sed exaudi nos miseros famulos tuos, misericordiam rogantes, auxilium tuum implorantes, ut nobis defensioni sis a facie inimici. Manifesta te ipsum esse salvatorem nostrum et potentem liberatorem, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Breves orationes ab iis privatim dicendæ, qui propter pugnam aut tempestatem cum cæteris ad supplicandum convenire non possunt.

Orationes generales.

MISERERE, Domine, nobis peccatoribus, et salvos nos fac propter misericordiam tuam.

Tu magnus es Deus, qui omnia fecisti et regis: libera nos propter Nomen tuum.

Tu magnus es Deus super omnia timendus: salva nos, ut te laudare possimus.

Orationes speciales de Hostibus.

JUSTUS es et potens, Domine: discerne causam nostram contra faciem inimici.

Turris es fortitudinis, Deus, omnibus ad te confugientibus: salva nos a violentia inimicorum.

Domine exercituum, pugna pro nobis, ut te glorificare possimus.

Ne sinas nos peccatorum nostrorum onere, aut violentia inimicorum, opprimi.

Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter Nomen tuum.

Breves Orationes de Tempestate.

DOMINE, qui dominaris potestati maris, exaudi, exaudi nos, et salva nos, ne pereamus.

Benedicte Salvator, qui discipulos tuos in tempestate jam perituros salvasti, audi nos, et salva nos, te deprecamur.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Domine, exaudi nos.
Christe, exaudi nos.

Deus Pater, Deus Fili, Deus Spiritus Sancte, miserere nobis, salva nos, nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum, potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Instante gravi periculo, convocari oportet quot ad munera navalia pro temporis necessitate peragenda non requiruntur, et confessionem peccatorum humiliter ad Deum facere. In qua quisque debet secum reputare specialia ea peccata de quibuscunque a conscientia sua accusetur: dicentibus omnibus;

Confessio.

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Conditor omnium rerum, Omnium hominum Judex; Confitemur et deploramus multiplicia peccata et delicta nostra, Quæ subinde impie admisimus, Cogitatione, verbo, et opere, Contra Divinam Majestatem tuam, Provocantes adversus nos justissimam iram et indignationem tuam. Serio nos pœnitet, Et ex animo dolemus ob has prævaricationes nostras; Quarum recordatio nobis acerba est, Onus intolerabile. Miserere nostri, Miserere nostri, Pater misericors; Propter Filium

tuum Jesum Christum Dominum nostrum, Quod præteritum est nobis condona; Et concede ut semper posthac Tibi in novitate vitæ Serviamus et placeamus, Ad honorem et gloriam Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos, si quis in nave adsit, hanc pronuntiet Absolutionem.

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro magna misericordia sua omnibus ex animo pœnitentibus, ad se cum vera fide conversis, peccatorum remissionem est pollicitus: Misereatur vestri, et dimittat vobis omnia peccata vestra; liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni bono, et ad vitam perducat æternam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Gratiarum Actio post Tempestatem.

Psalmus lxvi.

JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dicite Nomini ejus : date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, Quam terribilia sunt opera tua, Domine : in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi ; psalmum dicat Nomini tuo.

Venite et videte opera Dei : terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam ; in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum ; oculi ejus super gentes respiciunt : qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum : et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam : et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum : in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum : quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi : et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo : non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus :

et attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam: et misericordiam suam a me.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus cvii.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt a Domino: quos redemit de manu inimici; et de regionibus congregavit eos,

A solis ortu et occasu: ab aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt,

Esurientes, et sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris et umbra mortis: vinctos in mendicitate et ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei: et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis: et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: mirabilia ejus filiis hominum.

Quia contrivit portas æreas: et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis: et annuntient opera ejus in exsultatione.

Qui descendunt mare in navibus: facientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini: et mirabilia ejus in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellæ: et exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum devorata est.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram: et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis: et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum: et exitus aquarum in sitim:

Terram fructiferam in salsuginem: a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum: et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes: et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas: et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis: et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt: et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Effusa est contemptio super principes: et errare fc in invio, et non in via.

Et adjuvit pauper inopia: et posuit sic familias.

Videbunt recti, et l tur: et omnis iniquitas bit os suum.

Quis sapiens et c hæc: et intelliget miser Domini?

Gloria Patri, et Fi Spiritui Sancto;

Sicut erat in princi nunc, et semper: et in sæculorum. Amen.

Gratiarum Action

DOMINE Deus b et gloriose, cujus et misericordia sunt i Nos, humiles creatur quos fecisti et conserv nens animas nostras ad et nunc eruens nos a mortis, suppliciter ipsos præsentamus Majestati tuæ, sacrifici dis et gratiarum actio offerentes, qui nos in latione nostra claman audisti, et orationem in magna necessitate non amovisti. Immo omnibus, de nave, de b vitis nostris desperaba benignus nos respexisti, mirabiliter jussisti. obrem nos, jam inc sancto Nomini tuo laudem et gloriam tril Per Jesum Christum Dc nostrum. *Amen.*

Sive;

[D]EUS potentissime, clementissime, optime, miserationes tuæ sunt super omnia [opera] tua, sed præcipue super [eos qui ad te con]venerunt, quos tam po[tenter] et mirabiliter defendisti. [No]bis terribilia et mirabilia [in pro]fundo ostendisti, ut videremus quam potens clemensque sis, quam valens volensque te sperantibus subvenire. [Osten]disti nobis, quam pareant [manda]to tuo et venti et maria: [ut j]am ab his disceremus [hin]c voci tuæ obtemperare, [et volunt]atem tuam facere. Nos [ergo] Nomen tuum benedicimus et glorificamus, propter misericordiam tuam, qua [nos ja]m perituros salvasti. Da quæsumus, misericordiam non minus jam sentire, antea periculum nos[trum], et toto cordis affectu [gr]atos exhibere, non tan[tum v]erbis, sed etiam moribus, [manda]tis tuis sanctis magis [obedie]ndo. Ne amoveas, quæ[sumus], hanc tuam benignitatem [a nob]is: ut nos quos salvos [fecisti] tibi in sanctitate et [justitia] serviamus, omnibus [diebus] vitæ nostræ. Per Jesum Christum Dominum nostrum Salvatorem. *Amen.*

[Hym]us laudis et gratiarum [actio]nis post periculosam [tem]pestatem.

[VE]NITE, confiteamur Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis; dicant qui redempti sunt a Domino: quos a sævo maris furore liberavit.

Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Tribulationem et dolorem invenimus: appropinquavimus usque ad portas mortis.

Aquæ maris forsitan absorbuissent nos: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Dedit abyssus vocem suam: et spiritu procellæ exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendimus usque ad cœlos, est descendimus usque ad abyssos: anima nostra in malis tabescebat.

Et clamavimus ad te, Domine: et de necessitatibus nostris eduxisti nos.

Benedictum sit Nomen tuum, qui supplicationem famulorum tuorum non contempsisti: sed deprecationem nostram exaudivisti, et salvos fecisti nos.

Statuisti procellam in auram: et siluerunt fluctus ejus.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia

ejus, quæ fecit, et adhuc facit, filiis hominum.

Benedictus Dominus die quotidie; prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi: et Domini Domini exitus mortis.

Quia delectasti nos, Domine, in operibus manuum nostrarum: et gloriabimur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus: qui facit mirabilia solus.

Et benedictum Nomen Majestatis suæ in æternum: et dicet quisque nostrum: Fiat, Fiat.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

2 Cor. xiii.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. *Amen.*

Post Victoriam aut Liberationem ab Hostibus.

Psalmus sive Hymnus laudis et gratiarum actionis post Victoriam.

NISI quia Dominus erat in nobis, nunc dicamus: nisi quia Dominus erat in nobis: Cum exsurgerent homines in nos: forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos: in captionem eis.

Dominus operatus est: magnam salutem pro nobis.

Nec enim in gladio nostro hoc acquisivimus, et brachium nostrum non salvavit nos: sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in nobis.

Apparuit Dominus pro nobis: Dominus obumbravit super capita nostra, et fecit nos stare in die belli.

Apparuit Dominus pro nobis: Dominus inimicos nostros ventilavit cornu, et percussit insurgentes in nobis.

Igitur non nobis, Domin[e] non nobis: sed Nomini tu[o] detur gloria.

Magnificavit Dominus fac[ere] nobiscum: magnificavit Do[mi]nus facere nobiscum, facti mus lætantes.

Adjutorium nostrum in [no]mine Domini: qui fecit cœ[lum] et terram.

Sit Nomen Domini ben[edic]tum: ab hoc tempore usq[ue in] sæcula.

Gloria Patri, et Fili[o:] Spiritui Sancto;

Sicut erat in princi[pio]

nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. ***Amen.***

Post hunc Hymnum cantari potest Hymnus Te Deum.

Deinde hæc Oratio.

OMNIPOTENS Deus, totius mundi summe Imperator, in cujus manu sunt virtus et potentia, quibus nemo resistere valet: Laudamus et magnificamus magnum et gloriosum Nomen tuum propter hanc victoriam felicem, cujus totam gloriam tibi ascribimus, soli omnis victoriæ datori. Da nobis, quæsumus, hac insigni misericordia bene uti, ad gloriam tuam, ad profectum Evangelii tui, ad honorem Reginæ nostræ, et, quantum in nobis est, ad commodum omnium hominum. Et da nobis, quæsumus, hanc magnam misericordiam ita sentire, ut gratum animum nostrum revera declaremus, ambulando ante te in humilitate, sanctitate, et obedientia, omnibus diebus nostris. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui tecum in unitate Spiritus Sancti, tam propter omnes misericordias tuas, quam specialiter pro hac victoria et liberatione, sit omnis gloria et honor, in sæcula sæculorum. ***Amen.***

2 Cor. xiii.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis in sæcula sæculorum. ***Amen.***

In Exsequiis eorum qui inter navigandum moriuntur.

Officium in Libro Precum Publicarum præscriptum recitari potest; dummodo loco verborum, Nos igitur corpus ejus terræ committimus, terram terræ, dicatur,

NOS igitur corpus ejus profundo committimus, in corruptionem convertendum, exspectantes resurrectionem corporis, (quando dabit mare mortuos qui in eo sunt), et vitam venturi sæculi, per Jesum Christum Dominum nostrum: qui in adventu suo reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; secundum operationem qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Ordo et Ritus

FACIENDI, ORDINANDI, ET CONSECRANDI

Episcopos, Presbyteros, et Diaconos

SECUNDUM USUM

Ecclesiae Anglicanae.

Manifestum est omnibus, Sacram Scripturam et ve auctores diligenter perlegentibus, exstitisse in Ecc Christi ex Apostolorum temporibus hosce Ministr Ordines, Episcopos, Presbyteros, et Diaconos. quidem munera ita magni semper æstimabantu nemo auderet ullo eorum fungi, nisi qui jam vo esset, probatus, examinatus, et eidem sustinend esse satis cognitus : et præterea per preces pul cum impositione manuum a legitima auctoritate approbatus et admissus. Igitur, quo isti Ordin Ecclesia Anglicana conservari possint, et rever debita usurpari et æstimari, nemo pro legitimo Epis Presbytero, aut Diacono in Ecclesia Anglicana eatur, nec ullum istorum officiorum exsequi permit nisi qui secundum ritum sequentem ad id vocatus batus, examinatus, et admissus fuerit ; aut qui secrationem vel Ordinationem Episcopalem jam susceperit.

Nullus ad Diaconatus Ordinem ante vicesimum te ætatis suæ annum, nisi ex dispensatione, admit Et quisque in Presbyterum ordinandus annum simum quartum ; quisque autem in Episcopatu dinandus vel consecrandus, tricesimum compl debet.

Episcopus, cum vel ipse vel ex sufficiente testimonio sciat aliquem honeste vivere, et vitii expertem es post examen et probationem in Latina lingua dc et in Sacra Scriptura sufficienter eruditum esse nerit, potest eum, temporibus in Canone const (aut, urgente gravi causa, alia Dominica vel Fest facie Ecclesiæ secundum ritum et ordinem seque in Diaconatum promovere.

Ordo et Ritus
AD FACIENDOS DIACONOS.

Die ab Episcopo constituto, post Matutinas fiat Concio vel Exhortatio, qua doceatur populus quid sit munus et officium assumendorum in Diaconatum; quam necessarius in Ecclesia Christi sit iste Ordo; et quanti eos in officio eorum æstimare debeat populus.

Principio, Archidiaconus aut Delegatus ejus Episcopo, in sede sua juxta Sacram Mensam sedenti, eos qui in Diaconatum ordinari volunt, singulos decenter vestitos, hisce verbis præsentet.

REVERENDE in Deo Pater, præsento tibi hosce præsentes in Diaconatum assumendos.

Episcopus.

VIDE ut ii quos nobis præsentas apti sint et digni, pro scientia et morum pietate, qui ministerium suum rite exsequantur, ad honorem Dei, et ædificationem Ecclesiæ ejus.

Respondeat Archidiaconus.

INQUISITIONE de eis habita, et examine facto, aptos et dignos esse eos existimo.

Deinde Episcopus populum alloquatur.

FRATRES, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum jam ad Diaconatus ordinem suscipiendum præsentatorum ad id officium promoveatur, pro Deo exeat, et crimen aut impedimentum, quidquid sit, declaret.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum objiciatur, Episcopus differat ordinationem accusati, donec criminis illius expers esse visus fuerit.

Deinde Episcopus, eos qui ordinatione digni visi fuerint Congregationis præ-

cibus commendans, cum Clero et populo præsente Litaniam cum orationibus, prout sequitur, cantet vel dicat.

Litania cum suffragiis.

PATER de cœlis Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Pater de cælis Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens: miserere nobis miseris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, a Patre et Filio procedens: miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, tres Personæ, unus Deus: miserere nobis miseris peccatoribus.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris: parce nobis, Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretiosissimo sanguine tuo, et ne in æternum irascaris nobis.

Parce nobis, Domine.

Ab omni malo et calamitate; a peccato, ab insidiis et infestationibus diaboli; ab ira tua, et a damnatione perpetua,

Libera nos, Domine.

Ab omni cæcitate cordis; a superbia, ab appetitu inanis gloriæ, et ab hypocrisi; ab invidia, odio, malitia, et omni mala voluntate,

Libera nos, Domine.

A fornicatione, cæterisque peccatis mortalibus; et ab omnibus illusionibus mundi, carnis, et diaboli,

Libera nos, Domine.

A fulgure et tempestate, a pestilentia et fame, a bello et homicidio, et a subitanea morte,

Libera nos, Domine.

Ab omni seditione, conjuratione, et rebellione: ab omni falsa doctrina, hæresi, et schismate; a duritia cordis, et contemptu verbi et mandati tui,

Libera nos, Domine.

Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ; per sanctam Nativitatem tuam et Circumcisionem; per Baptismum, Jejunium, et Tentationem tuam,

Libera nos, Domine.

ιgoniam tuam et
um Sudorem; per
ɜt Passionem tuam;
iosam Mortem et
am tuam; per glo-
Resurrectionem et
nem tuam; et per
m Spiritus Sancti,
nos, *Domine*.
ni tempore tribula-
stræ; in omni tem-
speritatis nostræ;
mortis, et in die

nos, *Domine*.
ores te rogamus,
;, Domine Deus:
:lesiam tuam sanc-
ıolicam in via recta
:t gubernare dig-

ımus audi nos, *Dne*.
nulam tuam Vic-
ʀeginam et guber-
nostram clemen-
., in vero tui cultu,
ι et sanctitate vitæ,
et confirmare dig-

ımus audi nos, *Dne*.
ejus in fide, timore,
tuo regere digneris,
r in te confidat, et
ibus honorem et
uam quærat,
ımus audi nos, *Dne*.
ɑ conservare et de-
eique victoriam
mnes hostes ejus
e digneris,
ımus audi nos, *Dne*.

Ut Albertum Edvardum Principem Walliæ, Principissam Walliæ, et universam Gentem Regiam benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut omnes Episcopos, Presbyteros, et Diaconos vera cognitione et recto intellectu Verbi tui illuminare digneris; ut tam docendo quam vivendo id proferant et commendent,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut istos famulos tuos, jam in ordinem Diaconorum (*sive* Presbyterorum) promovendos benedicere, et super eos gratiam tuam effundere digneris; quatenus officium suum rite exsequantur, in ædificationem Ecclesiæ tuæ et gloriam Sancti Nominis tui,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut Consiliarios regios et totam Nobilitatem gratia, sapientia, et intellectu illustrare digneris,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut Magistratus benedicere et custodire et gratia donare digneris, qua exsequantur justitiam et custodiant veritatem,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut omnem populum tuum benedicere et conservare digneris,

Te rogamus audi nos, *Dne*.

Ut omnibus gentibus uni-

tatem, pacem, et concordiam largiri digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut cor nobis dare digneris, quo te amemus et timeamus, et secundum mandata tua diligenter vivamus,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omni populo tuo incrementum gratiæ donare digneris, quo verbum tuum humiliter audiat et puro animi affectu amplectatur, et fructus Spiritus proferat,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut errantes et seductos in viam veritatis reducere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut stantes confirmare, corde debiles confortare et sustentare, lapsos erigere, et Sathanam tandem sub pedibus nostris conterere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes in periculo, necessitate, et tribulatione constitutos sublevare, adjuvare, et consolari digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut omnes terra marique peregrinantes, omnes mulieres parturientes, omnes ægrotantes et parvulos conservare, et omnibus in carcere detentis et captivis misericordiam tuam ostendere digneris,

Te rogamus audi nos, Dne.

Ut orphanis et desolatisque omnit oppressis, opitulari videre digneris,

Te rogamus audi n

Ut omnibus hor misereri digneris,

Te rogamus audi n

Ut inimicis, pers bus, et obtrectatorib tris ignoscere, et corda convertere d

Te rogamus audi n

Ut fructus terræ conservare digneris, pore opportuno eis

Te rogamus audi n

Ut ad veram pœnit nos perducere; omn cata nostra, negliger ignorantias, condon gratiam Sancti Spir fundere digneris, ut dum sanctum Verbu vitam nostram emen

Te rogamus audi n

Fili Dei: te ro audi nos.

Fili Dei: te ro audi nos.

Agnus Dei: qui tol cata mundi,

Dona nobis pacem

Agnus Dei: qui tol cata mundi,

Miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi no.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Christe eleison.
Kyrie eleison.
Kyrie eleison.

Tum Sacerdos et cum eo populus dicant Orationem Dominicam.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo. Amen.

Sacerdos. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

DEUS, misericors Pater, qui contritorum non despicis gemitum, et mœrentium non spernis affectum; adesto precibus nostris, quas tibi in omni tribulatione nostra, si quando nos opprimat, offerimus: implorantes, ut solito pietatis tuæ intuitu quicquid contra nos diabolicæ fraudes atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio misericordiæ tuæ allidas; quatenus nos famuli tui, nullis infestationibus læsi, in Ecclesia tua sancta tibi gratias semper referamus consolati. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter Nomen tuum.

Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter honorem tuum.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto;

Resp. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Ab inimicis nostris defende nos, Christe.

Afflictionem nostram benignus vide.

Dolorem cordis nostri respice clemens.

Peccata populi tui pius indulge.

Orationes nostras pius exaudi.

Fili David, miserere nobis.

Hic et in perpetuum nos exaudire digneris, Christe.

Exaudi nos, Christe; exaudi nos, Domine Christe.

Sacerdos. **Fiat misericordia tua, Domine, super nos:**

Resp. **Quemadmodum speravimus in te.**

Oremus.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus, Pater, propitius respice: et mala omnia quæ juste meremur propter Nominis tui gloriam averte: et præsta, ut inter omnia adversa in misericordia tua omnino confidamus, et tibi semper in puritate et sanctitate vitæ serviamus, in honorem et gloriam tuam. Per unicum nostrum Mediatorem et Advocatum, Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde cantetur aut dicatur Officium Communionis, cum Oratione, Epistola, et Evangelio sequentibus.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui divina providentia tua varios Ministrorum ordines in Ecclesia constituisti, et Apostolos tuos inspiratione tua docuisti in Diaconorum ordinem Sanctum Stephanum protomartyrem, cum aliis, eligere; Respice propitius hos **famulos tuos, in idem officium et ministerium jam vocatos; et eos doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam Nominis tui, et ad ædificationem Ecclesiæ tuæ. Per merita Salvatoris nostri, Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, nunc et per omnia sæcula sæculorum.** *Amen.*

Epistola.

1 Ad Tim. iii. 8.

DIACONOS similiter pudicos, non bilingues non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene præsint, et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent; et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

.æc, e sexto Actuum
ostolorum capite.

Act. vi. 2.

VOCANTES autem duodecim multim discipulorum, dixe- Non est æquum nos ıquere verbum Dei, istrare mensis. Conte ergo, fratres, viros ›bis boni testimonii n, plenos Spiritu San- : sapientia, quos con- nus super hoc opus. ero orationi, et minis- verbi, instantes eri- Et placuit sermo ı omni multitudine. legerunt Stephanum, plenum fide et Spiritu o, et Philippum, et ıorum, et Nicanorem, nonem, et Parmenam, colaum advenam Anæ. Hos statuerunt conspectum Aposto- : et orantes imposue- is manus. Et verbum ni crescebat, et multi- ›atur numerus discipu- ı in Jerusalem valde : . etiam turba sacer- n obediebat fidei.

.e Evangelium Episco- in sede sua sedens gulos ordinandos co- ı populo modo sequenti minet.

CONFIDITIS vos a Spiritu Sancto interius adductos esse, ut hoc officium et ministerium suscipiatis, quo Deo serviatis ad gloriam ejus promovendam, et populum ædificandum?

Resp. Ita confido.

Episcopus. Putatis, vos ad Ecclesiæ Ministerium, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam, revera vocatos esse?

Resp. Ita puto.

Episcopus. Creditis sincere omnes Scripturas Canonicas Veteris et Novi Testamenti?

Resp. Credo.

Episcopus. Vultis eas ad populum in Ecclesia in qua ad ministrandum constituti fueritis congregatum, diligenter legere.

Resp. Volo.

Episcopus. Diaconum oportet, in Ecclesia in qua ad ministrandum constitutus fuerit, Sacerdoti Officium Divinum peragenti, et præcipue Sacram Communionem celebranti assistere, et in eadem impertienda operam præbere, et Sacras Scripturas, et Homilias, in Ecclesia legere; juventutem Catechismo erudire; absente Sacerdote infantes baptizare, et, si ad id ab Episcopo ad-

missus fuerit, prædicare. Præterea oportet eum, ubi ita constitutum fuerit, ægrotos, pauperes, et infirmos intra Parochiam habitantes, exquirere, et eorum conditiones, nomina, et domicilia Parocho indicare, ut, per hortationes ejus, Parochianorum aut aliorum eleemosynis reficiantur. Vultis hæc facere libenter et alacriter?

Resp. Hoc, cum Dei auxilio, facere volo.

Episcopus. Vultis ad hoc omnem operam conferre, ut vestri ipsorum et familiarum vestrarum mores secundum doctrinam Christi conformetis, et tam vos quam eas, quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddatis?

Resp. Hoc, Domino adjuvante, facere volo.

Episcopus. Vultis Ordinario vestro, et aliis superioribus Ecclesiæ ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes?

Resp. Ad hoc dabo operam, adjuvante Domino.

Deinde Episcopus, super capita singulorum ante se humiliter genuflexorum manus imponens, dicat,

ACCIPE potestatem exsequendi officium Diaconi in Ecclesia Dei tibi commissum; In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Episcopus singulis Novum Testamentum tradat, dicens,

ACCIPE potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, idque etiam prædicandi, si ad hoc ab ipso Episcopo facultatem susceperis.

Deinde unus ex iis, ab Episcopo designatus, legat

Evangelium.

S. Luc. xii. 35.

SINT lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: Amen

dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati servi illi.

Deinde Episcopus in Communione procedat; et omnes Ordinati maneant, et sacram Communionem eodem die cum Episcopo percipiant.

Communione perfecta, post ultimam Orationem, et immediate ante Benedictionem, dicantur hæ sequentes Orationes.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui pro magna bonitate tua hos famulos tuos ad officium Diaconatus in Ecclesia tua assumere et suscipere dignatus es: Fac eos, quæsumus, Domine, modestos esse, humiles, in ministerio constantes, et promptos ad spiritualis observantiam disciplinæ: ut semper bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo Filio tuo firmi et stabiles perseverent; et in hoc inferiori gradu tam bene se gerant, ut digni inveniantur qui ad potiora in Ecclesia tua ministeria vocentur. Per eundem Filium tuum Salvatorem nostrum Jesum Christum, cui sit gloria et honor per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur; quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Hic autem indicandum est Diacono, quod oportebit eum in Diaconatu per annum integrum (nisi ob causam sufficientem aliter Episcopo visum fuerit), permanere; quatenus in omnibus quæ ad ministeria ecclesiastica pertinent, perfectus sit et satis exercitatus. In quibus

cxsequendis si fidelis et diligens inventus fuerit, ad ordinem Presbyteratus ab Episcopo dioeceseos suæ admitti poterit, temporibus in Canone constitutis, (aut, urgente gravi causa, alia Dominica sive Festo,) in facie Ecclesiæ, secundum ritum et ordinem sequentem:

Ordo et Ritus

AD ORDINANDOS PRESBYTEROS.

ab Episcopo constituto, post Matutinas fiat Concio l Exhortatio, qua doceatur populus quid sit munus officium assumendorum in Presbyteratum ; quam :cessarius in Ecclesia Christi sit iste Ordo, et quanti s in officio eorum æstimare debeat populus

cipio, Archidiaconus, ıt, eo absente, alius in ıs vicem delegatus, piscopo, in sede sua xta sacram Mensam se- :nti, omnes qui illo die resbyteratus ordinem ıscepturi sunt, singulos :center vestitos, hiscc :rbis præsentet.

EVERENDE in Deo . Pater, presento tibi :e præsentes in ordinem ıbyteratus assumendos.

Episcopus.

IDE ut ii quos nobis præsentas apti sint ligni, pro scientia et um pietate, qui minis- ım suum rite exsequan- ad honorem Dei, et icationem Ecclesiæ ejus.

pondeat Archidiaconus.

QUISITIONE de eis habita, et examine facto, ıs et dignos esse eos exis- ı.

Deinde Episcopus populum alloquatur.

ADSUNT, dilectissimi, quos in sacrum Sacerdotii officium, Deo volente, hodie assumere statuimus: Nam post debitum examen factum nihil nobis compertum est nisi quod in munus illud et ministerium legitime vocantur, et digni sunt qui id suscipiant. Sed tamen, si quis vestrum scit ullum impedimentum aut notabile crimen, quod prohibet ne aliquis horum in hoc sacrum ministerium assumatur, pro Deo exeat, et crimen aut impedimentum, quidquid sit, declaret.

Si autem aliquod grave crimen aut impedimentum objiciatur, Episcopus differat ordinationem accusati, donec criminis illius expers esse visus fuerit.

Deinde Episcopus, eos qui ordinatione digni visi fue-

rint Congregationis precibus commendans, cum Clero et populo præsente Litaniam cum orationibus cantet vel dicat, sicut antea constitutum est in Ordinatione Diaconorum; cum hac exceptione, quod in proprio suffragio illic addito, verbum Diaconorum omitti debet, et loco ejus verbum Presbyterorum substitui.

Deinde cantetur aut dicatur Officium Communionis, cum Oratione, Epistola, et Evangelio sequentibus.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios Ministrorum Ordines in Ecclesia constituisti: Respice propitius nos famulos tuos, in officium Sacerdotii jam vocatos: et eos doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam tui Nominis, et ad ædificationem Ecclesiæ tuæ. Per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola.

Ephes. iv. 7.

UNICUIQUE nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Postea pro Evangelio legatur pars noni capituli Sancti Matthæi, prout sequitur.

S. Matt. ix. 36.

VIDENS autem turbas Jesus, misertus est eiss quia erant vexati, et jacente: sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem

multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Aut quod sequitur, e decimo capitulo Sancti Joannis.

S. Joan. x. 1.

AMEN, amen, dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et, cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen, dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus: et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor.

Deinde Episcopus, in sede sua sedens, ordinandos verbis sequentibus alloquatur.

AUDIVISTIS, Fratres, tam in privato vestri examine, quam in exhortatione jam nunc ad vos facta, et in sacris lectionibus ex Evangelio et scriptis Apostolorum desumptis, quanta sit dignitas, quanta gravitas, istius muneris ad quam vocamini. Nunc autem iterum hortamur vos, in Nomine

Domini nostri Jesu Christi, ut dignitatis ad quam vocamini excellentiam, curæ et officii onus, in memoria habeatis. Domini enim eritis nuntii, speculatores, et dispensatores. Vestri erit familiam Domini docere, monere, pascere, curare; Christi etiam oves dispersas, et filios ejus in medio mundanæ pravitatis habitantes requirere, quatenus per Christum salutem æternam consequantur.

Sit ergo semper memoriæ impressum vestræ, quantus sit thesaurus vobis commissus. Sunt enim oves Christi, quas morte sua acquisivit, et pro quibus sanguinem suum effudit. Ecclesia et congregatio cui servituri estis sponsa ejus est et corpus. Et si quando eidem Ecclesiæ, aut cui ejus membro, damni aliquid aut impedimenti negligentia vestra attulerit, delicti ejusmodi gravitatem satis nostis, et pœnam quæ id insecutura est horribilem. Quamobrem vobis considerandum est, quid spectet ministerium vestrum quoad filios Dei, et sponsam atque corpus Christi. Immo videte ne quid laboris, curæ, et diligentiæ omittatis, donec omnem operam pro viribus, sicut vos oportet, dederitis, quo omnes qui curæ vestræ aut sint aut fuerint commissi, ad eam in Dei fide et cognitione unitatem, et eam ætatis in Christo perfectam maturitatem perducatis, quæ nec erroribus in religione, nec in moribus pravitati, ullum apud vos relinquat locum.

Cum igitur officii vestri tanta sit excellentia, tanta difficultas, videtis quantum studii et operæ a vobis adhibendum sit, ut et Domino qui vos in tam alto dignitatis gradu collocavit, fideles et gratos vos exhibeatis, et caveatis ne ille per vos, nec vobis auctoribus per alios, offendatur. Cum tamen ex vobismetipsis id propositum eamque voluntatem habere non valetis, (a Deo enim solo id velle et posse datur,) debetis, quod et ipsa necessitas requirit, Sanctum Dei Spiritum studiosius postulare. Præterea, cum non alia ratione tantum opus, ad hominum salutem pertinens, perficere valeatis, nisi doctrina et hortationibus ex Sacra Scriptura desumptis, et ratione quæ iis congruat vivendi; considerate vobiscum, quam diligenter vobis legendæ sint et ediscendæ Scripturæ, et mores tam vestri ipsorum quam eorum qui ad vos proxime

pertineant, ad Scripturarum normam conformandi: quam necessario etiam, hanc eandem ob causam, oporteat vos studia et sollicitudines, quæ de mundo sunt, quantum in vobis erit, prorsus deponere.

Magnam profecto spem habemus, vos jamdudum hæc omnia satis animo perpendisse, et certo statuisse vos totos, favente Deo, huic muneri dedicare, ad quod Deus vos vocare dignatus est: adeo ut, quantum ex vobis erit, ad hoc solum omnem diligentiam adhibere velitis, in hoc omnes curas, omnia studia conferre; et a Deo Patre, per Mediatorem Jesum Christum, unicum nostrum Salvatorem, cœleste Sancti Spiritus auxilium indesinenter petere: quatenus, maturitatem in ministerio et vigorem per quotidianam Scripturarum lectionem et meditationem consecuti, ita enitamini vestras vestrorumque etiam atque etiam purificare vitas, et ad normam doctrinamque Christi conformare, ut vestræ pietatis exemplo imitationem plebs acquirat salutarem.

Jam vero, quatenus Christi populus hic congregatus quid in hac re sentiatis, quid velitis, intelligat, et promissio jam a vobis facienda ad præstandum officium vestrum efficacius vos adducat, ad quæstiones quas de his in Nomine Dei et Ecclesiæ ejus vobis proponemus, diserte a vobis est respondendum.

CREDITIS in corde vos vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et consuetudinem hujus Ecclesiæ Anglicanæ, ad ordinem et ministerium Presbyteratus?

Resp. Credo.

Episcopus.

PERSUASUM est vobis, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad æternam per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevistis ea quæ ex eisdem Scripturis intelligitis plebem vestræ curæ commissam docere, et nihil tradere tanquam in salutem æternam necessarium, nisi de quo vobis persuasum fuerit, per Scripturas concludi et probari posse?

Resp. Ita mihi persuasum est, et ita gratia Dei decrevi.

Episcopus.

VULTIS igitur diligentiam semper fideliter

adhibere in Christi Doctrina, Sacramentis, et Disciplina ita administrandis, sicut Dominus præcepit, et hæc Ecclesia atque hoc Regnum eadem susceperunt, secundum mandata Dei: quatenus populum curæ vestræ commissum doceatis eadem omni diligentia observare?

Resp. Volo hoc facere, cum Domini auxilio.

Episcopus.

PARATI eritis amovere atque depellere, omni fidelitate et diligentia, omnes falsas et alienas doctrinas, verbo Dei contrarias; et tam ægrotantes quam bene valentes, intra parochias vestras habitantes, si quando res postulet, aut occasio data sit, monitionibus et publicis et privatis adhortari?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domini, paratus ero.

Episcopus.

VULTIS instare orationi, et lectioni sacrarum Scripturarum, eisque studiis quæ cognitioni earum inserviunt, studio mundi carnisque seposito?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, adhibebo diligentiam.

Episcopus.

VULTIS operam dare ut vosmetipsos et familias vestras secundum Christi doctrinam conformetis, et quod ex vobis erit, exemplaria gregi Christi salutaria reddere?

Resp. Ad hoc, adjuvante Domino, operam dabo.

Episcopus.

VULTIS, quantum ex vobis erit, inter omnes Christianos, eosque præcipue qui curæ vestræ sint aut fuerint commissi, tranquillitatem, pacem, et charitatem conservare et promovere?

Resp. Volo, adjuvante Domino.

Episcopus.

VULTIS Ordinario vestro, et aliis superioribus Ecclesiæ Ministris, quibus cura vestri regimenque committetur, reverenter obedire, piis eorum monitionibus omni mentis et voluntatis alacritate obtemperantes, vosque piis eorum judiciis submittentes?

Resp. Volo, adjuvante Domino.

Deinde Episcopus erigens se dicat,

OMNIPOTENS Deus, de cujus munere venit, ut hæc omnia facere velitis; virtutem etiam ad ea exsequenda vobis concedat: ut opus suum quod in vobis cœpit perficiat. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde rogandus est populus, ut hæc omnia secreto orationibus suis a Deo suppliciter exposcat. Quod ut faciat, per aliquantum temporis sileatur.

Postea ab Episcopo cantetur aut dicatur Hymnus, **Veni Creator**; omnibus Presbyterandis genuflexis; Episcopo incipiente, Presbyteris autem, aliisque qui adsunt, per alternos versus respondentibus, prout sequitur.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

[Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.]

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat Filius
Charisma Sancti Spiritus.
Amen.

Postea sic oret Episcopus, dicens,

Oremus.

OMNIPOTENS Deus, Pater cœlestis, qui ex infinita tua caritate et bonitate erga nos dedisti nobis unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitæ sempiternæ; qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in cœlos, dimisit in mundum Apostolos suos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, et Pastores: per

quorum laborem et ministerium in omni regione mundi magnum gregem collegit, quo Nominis sancti tui laus æterna celebraretur: Pro his tantis æternæ tuæ bonitatis beneficiis, et propterea quod hos præsentes famulos tuos vocare dignatus es ad idem officium et ministerium in salutem humani generis institutum, gratias tibi ex animo referimus, laudamus et adoramus te: suppliciter rogantes per eundem Filium tuum benedictum, ut omnibus aut hic aut alibi sanctum Nomen tuum invocantibus tribuas continuo tibi, pro his cæterisque beneficiis tuis, gratum animum exhibere, et in cognitione et fide tui et Filii tui, per Spiritum Sanctum, quotidie crescere et proficere: adeo ut tam per hos ministros tuos, quam per eos super quos constituti fuerint ministri tui, sanctum Nomen tuum in æternum glorificetur, et amplificetur benedictum regnum tuum. Per eundem Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Hac oratione perfecta, Episcopus cum Presbyteris *qui præsentes* sunt manus imponat super capita singulorum Presbyteratus ordinem suscipientium; ordinandis humiliter genuflexis, Episcopo autem dicente,

ACCIPE Spiritum Sanctum in officium et opus Sacerdotis in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis: et quorum retinueris, retenta sunt. Esto etiam fidelis verbi Dei, et sanctorum ejus Sacramentorum Dispensator: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Deinde Episcopus unicuique eorum genuflexis tradat in manus Biblia Sacra, dicens,

ACCIPE potestatem prædicandi verbum Dei, et administrandi sancta Sacramenta, in congregatione in qua fueris ad hoc legitime constitutus.

Quibus peractis, cantetur aut dicatur Symbolum Nicænum: et deinde Episcopus prosequatur Officium Communionis, quam omnes qui ordinantur simul percipere debent, et in eodem loco in quo manus sibi impositæ sunt

permanere, donec perceperint Communionem.

Peracta Communione, post ultimam Orationem, et immediate ante Benedictionem, recitentur hæ Orationes.

SUPER hos famulos tuos, quæsumus, Pater misericors, cœlestem tuam effunde benedictionem: ut justitia induantur, et verbum tuum per ipsorum ora prædicatum tam bene succedat, ut nunquam frustra proferatur. Nobis etiam, rogamus, eam gratiam tribue, ut quidquid ex sancto verbo tuo desumptum, aut eidem consentaneum, propositurі sunt, nos pro instrumento salutis audiamus et amplectamur: quatenus in omnibus dictis operibusque nostris gloriam tuam quæramus, et regni tui augmentum. Per Jesum Christum Dominum nostram. *Amen.*

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur: quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Si autem uno eodemque die alii Diaconatus ordinem suscipiant, et alii Presbyteratus: præsententur primum Diaconi, deinde Presbyteri; et satis fuerit si pro utrisque semel dicatur Litania. Recitetur tamen utraque Oratio; ea primum quæ ad Diaconos spectat, deinde ea quæ ad Presbyteros. Sit Epistola Eph. iv. 7—13, ut supra in hoc Officio. Post quam lectam Diaconandi examinentur, et ordinentur, sicut antea præscriptum est. Deinde, lecto ab aliquo eorum Evangelio (quod erit aut ex Evangelio secundum Matt. ix. 36—38, ut supra in hoc Officio, aut secundum Luc. xii. 35—38, ut antea in Ordinatione Diaconorum) Presbyterandi etiam examinentur, et ordinentur, sicut supra in hoc Officio præscriptum est.

Forma

ORDINATIONIS SIVE CONSECRATIONIS

Archiepiscopi aut Episcopi,

QUÆ IN DOMINICA AUT FESTO SEMPER PERAGENDA EST.

Omnibus in Ecclesia rite præparatis et dispositis, post Matutinas Archiepiscopus (aut alius Episcopus ad id munus designatus) incipiat Officium Communionis, in quo hæc sit

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui per Filium tuum Jesum Christum sanctis tuis Apostolis plurima excellentia dona contulisti, et ut gregem tuum pascerent præcepisti: Tribue, quæsumus, eam gratiam omnibus Episcopis, Ecclesiæ tuæ Pastoribus, qua verbum tuum diligenter prædicent, et piam ejus disciplinam rite administrent; et da populo eadem obedienter sequi; quatenus omnes coronam æternæ gloriæ percipiant. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Alius autem Episcopus legat

Epistolam.

I Tim. iii. I.

FIDELIS sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere

n ab iis qui foris sunt,
n in opprobrium inci-
t in laqueum diaboli.

Sive hanc

ctionem pro Epistola.

Act. xx. 17.

MILETO autem Paulus mittens Ephesum, rit majores natu eccle- Qui cum venissent ad et simul essent, dixit Vos scitis, a prima die ngressus sum in Asiam, ter vobiscum per omne us fuerim, serviens Do- cum omni humilitate, rymis, et tentationibus, mihi acciderunt ex in- Judæorum: quomodo subtraxerim utilium, ninus annuntiarem vo- et docerem vos publice er domos, testificans is atque gentibus in n pœnitentiam, et fidem ominum nostrum Jesum stum. Et nunc ecce atus ego spiritu, vado erusalem; quæ in ea ra sint mihi ignorans: quod Spiritus Sanctus omnes civitates mihi estatur, dicens quoniam la et tribulationes Jero- nis me manent. Sed ni- orum vereor: nec facio am meam pretiosiorem n me, dummodo con- nem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei, et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi

vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere.

Deinde alius Episcopus legat

Evangelium.

S. Joan. xxi. 15.

DICIT Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.

Sive hoc:

S. Joan. xx. 19.

CUM sero esset die illo, una sabbatorum, et ores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum; venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et **cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.**

Sive hoc

S. Matt. xxviii. 18.

ACCEDENS Jesus locutus est eis, dicens; Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos, servare omnia quæcunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

Post Evangelium, et Symbolum Nicænum, et Concionem, Episcopum Electum rocheto indutum Archiepiscopo provinciæ (aut alio Episcopo cui id legitime mandatum fuerit), in sede sua juxta sacram Mensam sedenti, præsentent duo Episcopi, dicentes,

'ERENDISSIME n Deo Pater, præus tibi hunc pium que virum, ut in ɔum ordinetur et 'etur.

Archiepiscopus rede consecratione ɜptum deposcat, et dum curet. Et juraum obedientiæ Ar- iscopo debitæ, prout tur, ab Electis exi- .

ıentum obedientiæ icpiscopo debitæ.

'ei Nomine. Amen. ;o N. Ecclesiæ et [. Episcopus Electus, ı reverentiam et oben Archiepiscopo et æ Metropoliticæ N. ɜssoribus eorum, me nia exhibiturum pro- : promitto. Sic me ıdjuvet, per Jesum m.

ramentum in Archi- opi Consecratione præstetur.

: Archiepiscopus pon sic alloquens ad dum exhortetur:

.TRES, Scriptum est ı Evangelio secunınctum Lucam, quod s Salvator erat pernoctans in oratione Dei, priusquam duodecim Apostolos suos eligeret et emitteret. Scriptum est etiam in Actis Apostolorum, quod discipuli qui erant Antiochiæ jejunabant et orabant, priusquam Paulo et Barnabæ manus imponerent, eosque emitterent. Nos igitur, Christi Salvatoris et Apostolorum exemplum sequentes, prius ad orationem nos conferamus, quam hunc virum nobis præsentatum assumamus, et ad opus illud emittamus, ad quod ipsum a Spiritu Sancto vocatum esse confidimus.

Deinde dicatur Litania, sicut supra in Ordinatione Diaconorum, cum hac exceptione, quod post verba, Ut omnes Episcopos, et seq. omittatur proprium suffragium illo loco positum, et quod hic sequitur substituatur.

UT hunc fratrem nostrum electum benedicere digneris, et super eum gratiam tuam mittere; ut munus ad quod vocatur rite sustineat, ad ædificationem Ecclesiæ tuæ, et ad honorem, laudem, et gloriam Nominis tui,

Resp. **Te rogamus, audi nos, Domine.**

Deinde dicatur hæc sequens Oratio.

OMNIPOTENS Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum Sanctum tuum varios Ministrorum ordines in Ecclesia tua constituisti: Respice propitius hunc famulum tuum, ad opus et ministerium Episcopale nunc vocatum: et eum doctrinæ tuæ veritate ita adimple, et vitæ innocentia adorna, ut tam opere quam ore tibi in hoc officio fideliter deserviat ad gloriam tui Nominis, et ad ædificationem et bonum regimen Ecclesiæ tuæ. Per merita Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde Archiepiscopus, in sede sua sedens ad Consecrandum dicat:

FRATER, quoniam Sacra Scriptura et antiqui Canones præcipiunt, ne quem cito manuum impositione admittamus ad regimen tenendum in Ecclesia Christi, quam non alio pretio nisi proprio sanguine effuso acquisivit: priusquam te ad hoc ministerium admittam, examinabo te in quibusdam articulis, ut probatione habita populus testari possit, qualiter velis in Ecclesia Dei conversari.

PERSUASUM est tibi, te ad hoc ministerium vere vocari, secundum voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et disciplinam in hoc regno constitutam?

Resp. Ita mihi persuasum est.

Archiepiscopus.

PERSUASUM est tibi, in Scripturis sacris sufficienter contineri omnem doctrinam, ad æternam per fidem in Jesu Christo salutem necessario suscipiendam? Et decrevisti ea quæ ex eisdem sacris Scripturis intelligis, plebem tuæ curæ commissam docere, et nihil tradere, nihil affirmare, tanquam in salutem æternam necessarium, nisi de quo tibi persuasum fuerit, per easdem concludi et probari posse?

Resp. Gratia Dei ita mihi persuasum est, et ita decrevi.

Archiepiscopus.

VIS igitur teipsum in eisdem sacris Scripturis fideliter exercere, et Deum exorare ut eas recte valeas intelligere: quatenus per eas potens sis docere et ex-

i in doctrina sana, et
i contradicunt resis-
›sque arguere?
·p. Volo hoc facere,
)ei auxilio.

Archiepiscopus.

RATUS es amovere
atque depellere, omni
ıte et diligentia, om-
ılsam et alienam doc-
ı, verbo Dei contra-
et alios ad id facien-
tam privatim quam
e adhortari et inci-

p. Ad hoc, adjuvante
ıo, paratus sum.

Archiepiscopus.

S abnegare omnem im-
pietatem et sæcularia
ria, et sobrie, juste, et
vere in hoc sæculo;
ıus in omnibus teip-
iis præbeas exemplum
ım operum, ut is qui
erso est vereatur, nihil
s malum dicere de te?
p. Volo hoc facere,
ınte Domini.

Archiepiscopus.

S, quantum ex te erit,
inter omnes tranquil-
ı, charitatem, atque
conservare et pro-
e; et eos qui intra
sim tuam seditiose,
contumaciter, et nefarie se gesserint, ea potestate corrigere et punire, quam ex Dei verbo habes, quæque per hujus regni leges tibi committetur?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

VIS fidelis esse in ordinando et mittendo alios, eisque manus imponendo?

Resp. Volo hoc facere, cum Dei auxilio.

Archiepiscopus.

VIS pauperibus et indigentibus et omnibus peregrinis auxilio destitutis, te propter Christum affabilem et misericordem præstare?

Resp. Volo ita me præstare, cum Dei auxilio.

Deinde Archiepiscopus erigens se dicat,

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, de cujus munere venit ut hæc omnia facere velis, virtutem etiam ad ea exsequenda tibi concedat: ut, ipso in te bonum opus quod cœpit perficiente, in novissimo die perfectus et irreprehensibilis inveniaris. Per

Jesum Christum Dominum nostrum. ***Amen.***

Deinde assumat Episcopus Electus cætera vestimenta Episcopalia; et super eum genuflexum cantetur aut dicatur **Veni, Creator Spiritus:** incipiente Archiepiscopo, Episcopis autem, aliisque qui adsunt, per alternos versus respondentibus, prout sequitur.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

[Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.]

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat Filius
Charisma Sancti Spiritus.
Amen.

Quo finito, dicat Archiepiscopus,

DOMINE, exaudi orationem nostram.
Resp. **Et clamor noster ad te veniat.**

Oremus.

OMNIPOTENS Deus, Pater misericors, qui ex infinita bonitate tua dedisti unicum et dilectissimum Filium tuum Jesum Christum, ut sit Redemptor noster, et auctor vitæ sempiternæ: qui post redemptionem nostram morte sua perfectam, et ascensionem suam in cœlos, dona sua super homines abundanter effudit, faciens quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad ædificationem et consummationem Ecclesiæ suæ: Da, quæsumus, eam gratiam huic famulo tuo, qua semper paratus sit ad evangeliz-

andum bona tua, ad prædicandam reconciliationem: et potestate quam tribuis non in destructionem, sed in salutem, non ad injuriam, sed ad auxilium utatur: quatenus, ut fidelis servus et prudens, familiæ tuæ dans cibum in tempore opportuno, in gaudium sempiternum tandem suscipiatur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Tunc Archiepiscopus et Episcopi qui adsunt super caput Electi ante se genuflexi manus imponant, dicente Archiepiscopo:

ACCIPE Spiritum Sanctum in officium et opus Episcopi in Ecclesia Dei, per impositionem manuum nostrarum jam tibi commissum: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Et memento ut resuscites gratiam Dei, quæ tibi datur per hanc impositionem manuum nostrarum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

Deinde tradat Archiepiscopus ei Sacra Biblia, dicens,

ATTENDE lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Meditare ea quæ in hoc libro continentur: in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt. Esto gregi Christi pastor, non lupus: pasce eum, noli devorare. Quod infirmum est consolida, quod ægrotum sana, quod confractum alliga, quod abjectum est reduc, quod periit require. Ita misericors sis, ut non sis remissior: ita disciplinam exhibeas, ut misericordiæ non obliviscaris: quatenus, cum apparuerit Princeps pastorum, percipias immarcescibilem gloriæ coronam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Officium Communionis prosequatur Archiepiscopus, cum quo Episcopus jam Consecratus (una cum aliis) communicare debet. Et pro ultima oratione, immediate ante Benedictionem, dicantur hæ Orationes.

SUPER hunc famulum tuum, quæsumus, Pater misericors, cœlestem tuum effunde benedictionem; et eum Sancto Spiritu tuo ita adorna, ut verbum tuum prædicans, non solum studeat arguere, obsecrare, increpare in omni patentia et doctrina, sed exemplum sit salutare fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, et in puritate; quatenus cursum suum fideliter consummans, accipiat in die novissimo coronam justitiæ, a Domino justo Judice repositam: qui cum Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

ACTIONES nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur: quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

APPENDIX.

I. LITURGIA PRIMA REFORMATA, ANNO MDXLIX, (REGIS EDVARDI SEXTI SECUNDO) ANGLICE EDITA.

II. LITURGIA SCOTICANA.

III. LITURGIA ECCLESIÆ AMERICANÆ.

LITURGIA PRIMA REFORMATA,

ANNO MDXLIX,

(REGIS EDVARDI SEXTI SECUNDO)

ANGLICE EDITA.

CŒNA DOMINICA,

ET

Sacra Communio,

QUÆ VULGO NOMINATUR

Missa.

Quotquot cupiunt participes fieri Sacræ Communionis indicent nomina sua Parocho nocte præcedente, vel mane, ante inceptas Matutinas, vel statim post Matutinas.

Si quis autem eorum fuerit manifeste criminosus, et populus eo offensus fuerit, vel si quis verbis aut facto proximum injuria affecerit; Parochus advocet eum et commonefaciat ne ullo modo ad Mensam Domini præsumat, donec publice professus fuerit se pravam vitam suam revera pœnitenter correxisse, et tum populo quem offenderit, tum illis quos injuria affecerit, satisfecisse, vel ad minimum se hoc quam primum commode fieri possit facturum.

Eodem modo eos etiam admoneat Parochus quos inter se simultates et odia habere intelligat; nec eos, donec invicem reconciliatos esse certo sciat, permittat Mensæ Domini fieri participes. Quorum si alter animo lubenti omnem injuriam sibi factam condonare velit, et ipse satisfacere pro eo quod inique fecerit; alter vero, ut cum illo in gratiam, prout Christianum decet, redeat, non adduci possit, sed in malitia sua perseveret obstinatus: tum Parochus pœnitentem admittat ad Sacram Communionem, pertinacem vero ab eadem arceat.

In die, et tempore ad Sacram Communionem minis-

trandam assignato, Sacerdos sacrum ministerium executurus vestitum induat isti ministrationi assignatum, id est, Albam candidam simplicem, cum Vestimento aut Cappa. Et ubi plures adsint Sacerdotes, aut Diaconi, ibi tot in promptu erunt ad Sacerdotem in ministrando adjuvandum, quot opus erit; qui etiam vestibus suo ministerio assignatis induti erunt, id est Albis et Tunicis. Deinde Clerici cantent Anglicè, pro Officio sive Introitu (quem vocant) Psalmum illi Diei assignatum.

Sacerdos, stans humiliter ante medium Altaris, dicat Orationem Dominicam, cum ista Collecta.

OMNIPOTENS Deus, cui omne çor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum dicat Psalmum pro Introitu assignatum; quo Psalmo finito, vel Sacerdos dicat, vel Clerici cantent,

iii. Kyrie eleison.
iii. Christe eleison.
iii. Kyrie eleison.

Tum Sacerdos, stans ad Dei Mensam, incipiat,

GLORIA in excelsis Deo.

Clerici. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine, Fili Unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram.

Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis; quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus. Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Tum Sacerdos convertat se ad populum, et dicat,

Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos.

Oremus.

de sequatur Oratio de
e, cum altera ex hisce
ɔbus Orationibus se-
entibus, pro Rege.

MNIPOTENS Deus, cujus regnum est æter- et potentia infinita; rere universæ congre- ni; et sic dirige cor i famuli tui Edvardi i, regis et gubernatoris i, ut cognoscat se esse strum tuum, et ante ia quærat gloriam et rem tuum: et ut nos subditi, agnoscentes, ecet, eum a te habere rium, fideliter ei ser- us, eum honoremus, et humiliter obsequamur, e et propter te, juxta eptum et ordinationem ı. Per Jesum Christum ıinum nostrum, qui te- vivit et regnat, in uni- Spiritus Sancti Deus, omnia sæcula sæculo- Amen.

MNIPOTENS sempi- terne Deus, in cujus o sancto docemur corda m in manibus tuis esse rnanda, et a te prout ıæ sapientiæ tuæ visum sponi et inclinari: Sup- s te rogamus ut cor Edvardi Sexti famuli tui, regis et gubernatoris nostri, ita disponas et gubernes, ut in omnibus suis cogitationibus, verbis, et operibus, tuum honorem et gloriam semper quærat, et populum tuum curæ suæ commissum in prosperitate, pace, et pietate custodire studeat: Hoc præsta, misericors Pater, propter dilectum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Finitis Orationibus, Sacerdos, aut iste qui ad hoc nominatur, Epistolam legat in loco ad id assignato, dicens,

Epistola Sancti Pauli, in Capite —— ad —— scripta.

Tum Minister legat Epistolam. Statim post Epistolam finitam, Sacerdos, vel alius quisquam ad Evangelium legendum deputatus, dicat,

Sanctum Evangelium, in Capite —— scriptum.

Clerici et populus respondeant,

Gloria tibi, Domine.

Tum Sacerdos aut Diaconus legat Evangelium. Post Evangelium finitum, Sacerdos incipiat,

CREDO in Unum Deum.

Clerici cantent reliqua.

Patrem Omnipotentem, Factorem cœli et terræ, Atque visibilium omnium et invisibilium: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, Consubstantialem Patri, Per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato. Passus et sepultus est, Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, Et ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, Qui locutus est per Prophetas. Et unam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, Et exspecto Resurrectionem mortuorum, Et vitam venturi seculi. Amen.

Post Symbolum finitum, sequatur Concio vel Homilia, vel portio aliqua Homiliæ cujusque, prout posthac divisæ fuerint; in qua nisi populus ad dignam sancti Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri participationem fuerit excitatus, Parochus hanc faciat exhortationem eis qui id participare in animo habeant.

VOS, dilectissimi in Domino, qui vultis ad sacram Communionem Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri accedere, id considerare oportet quod Beatus Paulus ad Corinthios scribit, quomodo omnes cohortatur, ut prius se diligenter probent et inspiciant quam de Pane illo edere et de Calice illo bibere audeant. Nam sicut admodum salutare est corde vere pœnitenti et viva fide sacrosanctum illud percipere Sacramentum; (tunc enim Christi Carnem spiritualiter edimus et Sanguinem bibimus; tunc in Christo habitamus et Chris-

tus in nobis; unum efficimur cum Christo, et nobiscum Christus;) ita etiam idem indigne accipientibus grave est periculum. Tunc enim rei efficimur Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri; judicium nobis manducamus et bibimus, non dijudicantes Corpus Domini; iram Dei contra nos accendimus; provocamus eum ut nos variis morborum mortisque plagis percutiat. Quare siquis adsit blasphemus vel adulter, si malitiæ, vel invidiæ, vel alius cujusvis peccati gravioris, sit reus (nisi vere propterea doleat et vitia ista relinquere serio in animo habeat, et se cum Deo Omnipotente reconciliatum charitatemque erga omnes homines habere credat,) peccata sua deploret, nec ad illam sacram Mensam veniat, ne post sanctissimum illum Panem sumptum, in eum, sicut in Judam, introeat diabolus ut eum omni iniquitate repleat, et ad exitium, tam corporis quam animæ, perducat. Dijudicate ergo vosmetipsos, fratres, ne a Domino judicemini. Animus vester peccandi voluntate careat, pœniteat vos serio peccatorum præteritorum; fidem erga Christum Salvatorem nostrum habeatis; charitatem perfectam erga omnes homines colatis; ita digni eritis qui istorum Mysteriorum sacrorum sitis participes. Sed et ante omnia necesse est ut Deo, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, toto cordis affectu gratias humiliter agatis, quod mundum redemit per Passionem et Mortem Christi Salvatoris nostri, Dei et Hominis; qui humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter nos, miseros peccatores; qui in tenebris et mortis umbra jacebamus, ut nos Dei filios efficeret et ad vitam æternam exaltaret. Et ut semper memores essemus ineffabilis illius charitatis Magistri nostri et unici Salvatoris, Jesu Christi, pro nobis ita mortui, et beneficiorum innumerabilium quæ (per pretiosam Sanguinis sui effusionem) nobis comparavit, in illis sacrosanctis Mysteriis, tanquam amoris sui pignus, et in ejusdem perpetuam commemorationem, benedictum suum Corpus et pretiosum Sanguinem reliquit quibus nos spiritualiter pasceremur, ad infinitum nostrum solatium et consolationem. Ei igitur, et Patri et Spiritui Sancto nos (prout merito debemus)

gratias agamus indeficientes; sanctæ ejus voluntati beneplacitoque totos nos subjicientes, et ei in vera sanctitate et justitia servire studentes omnibus diebus vitæ nostræ. Amen.

In Ecclesiis Cathedralibus, vel in aliis locis ubi sit Communio Quotidiana sufficiat quod ista Exhortatio suprascripta semel in unoquoque mense legatur. Et in Ecclesiis Parochialibus, in feriis, omittatur.

Si vero in Dominica vel Festo populus Communionem neglexerit Sacerdos parochianos suos intentius hortetur ut ad Sacram Communionem diligentius participandam sese disponant, hæc vel similia verba eis dicens.

AMICI dilecti, et vos præsertim quorum animarum cura mihi commissa est, die ——— proximo propositum habeo Dei gratia omnibus pie animo affectis Sacramentum consolatorium Corporis et Sanguinis Christi offerre, ut ab eis accipiatur in memoriam ejus fructuosissimæ et gloriosissimæ Passionis; per quam Passionem peccatorum remissionem consecuti sumus et effecti sumus participes regni cœlorum; quæ certa et explorata habemus si ad dictum Sacramentum venerimus propter peccata nostra ex animo pœnitentes et firmam misericordiæ Dei fidem habentes, cum gravi proposito ad Dei Voluntati obediendum nec amplius peccandum. Quare oportet nos ad hæc sacra Mysteria accedentes Deo Omnipotenti gratias ex animo agere propter infinitam ejus misericordiam et beneficia data et collata nobis indignis famulis suis, pro quibus non solum Corpus suum dedit ad mortem et effudit Sanguinem, sed etiam dignatur, in Sacramento et Mysterio, dictum Corpus suum et Sanguinem nobis dare ut eis spiritualiter pascamur. Quod Sacramentum cum res tam divina, tam sancta, sit, et digne accipientibus tam consolatoria, iis autem qui indigne idem accipere audeant tam periculosa; meum officium est vos cohortari ut interea quanta res sit vobiscum reputetis, et ut conscientias vestras inspiciatis et exploretis, non leviter nec more hypocritarum coram Deo, sed ut qui ad divinissimum et cœlestissi-

mum convivium conventuri sint; ne conveniatis nisi nuptiali illa veste quam in Scriptura requirit Deus induti; sed ut (quod in vobis est) digni inveniamini qui talem ad Mensam accedatis. Quod ut fiat, hæc ineunda est ratio,

Imprimis, Quod vos malæ vitæ præteritæ vere pœniteat; quod Deo Omnipotenti corde sincero confiteamini peccata vestra et impietatem contra ejus Majestatem, vel voluntate, vel verbo, vel opere commissam, vel infirmitate, vel ignorantia; et quod luctu interiore et lachrymis offensas vestras deploretis, misericordiam indulgentiamque Dei Omnipotentis quæratis, ei vos vitam vestram correcturos ex intimis cordibus spondentes. Et inter alia mihi a Deo præcipue imperatur, ut vos exhortar et urgeam ad reconciliationem cum proximis vestris quos offendistis, vel qui vos offenderunt, ut e cordibus vestris odium malitiamque erga eos penitus deponatis, ut amorem charitatemque ad omnes habeatis, aliis dimittentes sicut et vobis Deum dimissurum optatis. Quod si quis alii cuicumque injuriam intulerit, satisfactionem faciat debitamque restitutionem terrarum omnium bonorumque quæ injuriose vel rapuerit vel retinuerit, ante quam ad Dei mensam accedat; vel saltem hoc quamprimum poterit facere firmiter et ex animo statuat; quod nisi fecerit, ab illa sacra Mensa se abstineat, nec se Deum decipere posse putet, qui corda omnium hominum intuetur. Tali enim nec Sacerdotis Absolutio quidquam prodesse potest, nec sancti hujus Sacramenti participatio aliud quidquam efficit quam damnationis augmentum. Et si cui vestrum conscientia sit de quacumque re turbata et sollicita, solatio egens vel consilio, ad me se conferat, aut ad aliquem alium prudentem doctumque Sacerdotem, in Dei lege eruditum, et peccatum doloremque suum secreto confiteatur detegatque, ut id accipiat consilii spiritualis, admonitionis, et consolationis, quo conscientia sua relevari possit, et ut a nobis (ut Dei et Ecclesiæ Ministris) solatium accipiat et Absolutionem quibus et animus tranquillari et scrupuli omnes dubitationesque resolvi possint. Et æquum est neque eos qui generalem Confessionem satis habent

ab aliis offendi qui, ad suam majorem satisfactionem, Confessione auriculari et secreta coram Sacerdote utuntur; nec eos qui ad conscientiarum suarum tranquillitatem vel necessarium putant vel utile peccata sua Sacerdoti particulariter revelare ab iis offendi qui sufficere putant humilem suam Deo Confessionem et generalem Confessionem coram Ecclesia: in omnibus verò charitatis regulam sequi et servare oportet; et unusquisque propria contentus sit conscientia, nec aliorum mentes aut conscientias judicet; cujus rei faciendæ nullam Verbi Dei licentiam habet.

Deinde sequentur pro Offertorio una vel plures ex hisce sequentibus Sacræ Scripturæ sententiis, dum populus offert cantandis; sive una ex eis a Ministro dicetur immediatè ante Offertorium.

SIC luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Matth. v.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Matth. vi.

Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: hæc est enim lex et prophetæ. Matth. vii.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit. Matth. vii.

Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum, ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. xix.

Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 1 ad Cor. ix.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 1 ad Cor. ix.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Domi-

nus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. 1 ad Cor. ix.

Qui parce seminat parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 2 ad Cor. ix.

Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. ad Gala. vi.

Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. ad Gala. vi.

Est quæstus magnus pietas, cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. 1 ad Timo. vi.

Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare: thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1 ad Timo. vi.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in Nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. ad Hebræ. vi.

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. ad Hebræ. xiii.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1 Joan. iii.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Tobi. iv.

Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Tobi. iv.

Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei. Proverb. xix.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Psal. xli.

Ubi Clerici sint, unam vel plures cantabunt e Sententiis suprascriptis,

prout longius aut brevius sit tempus dum populus offerat.

Interea, Clericis Offertorium cantantibus omnes qui ita velint arcæ pauperum offerent, unusquisque secundum vires suas et mentem benevolam. Et in statutis offerendi diebus singuli viri mulieresque debitas et usitatas oblationes Parocho persolvent.

Deinde quotquot Sacram Communionem percepturi sint, in Choro, vel in aliquo loco commodo juxta Chorum, permanebunt, viri hinc, mulieres illinc. Cæteri qui dictam Sacram Communionem percipere in animo non habent e Choro discedant, exceptis Ministris Clericisque.

Deinde Minister Panis et Vini accipiat quantum personis ad Sacram Communionem percipiendam ordinatis sufficiat, Panem deponens super Corporale, vel in Patena, vel in aliqua alia re decenti ad hoc præparata: et Vinum in Calicem ponens vel (si Calix usui non sit) in aliquem scyphum pulchrum et convenientem ad illum usum præparatum, aquæ puræ et limpidæ aliquantulum ei addens, et super Altare et Panem et Vinum disponens. Deinde Sacerdos dicat,

Dominus vobiscum.

Resp. **Et cum spiritu tuo.**

Sacerdos. **Sursum corda.**

Resp. **Habemus ad Dominum.**

Sacerdos. **Gratias agamus Domino Deo nostro.**

Resp. **Dignum et justum est.**

Sacerdos.

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus.

Hic sequatur propria Præfatio, de tempore, (si quæ sit specialiter assignata,) alioqui statim sequatur,

ET ideo cum Angelis, &c.

PRÆFATIONES PROPRIÆ.

In Die Nativitatis Domini.

QUIA dedisti Jesum Christum, Filium tuum unicum, ut hodie pro nobis nasceretur: qui, operante Spiritu Sancto,

verus Homo factus est ex substantia Virginis Mariæ Matris suæ; idque sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Paschæ.

SED te potissimum prædicare propter Resurrectionem gloriosam Filii tui Jesu Christi Domini nostri: Ipse enim verus est Agnus Paschalis, qui pro nobis immolatus abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo nobis æternam reparavit. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Ascensionis.

PER dilectissimum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum; qui post gloriosissimam Resurrectionem suam omnibus Apostolis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut pararet nobis locum; ut ubi ipse est, eo et nos ascenderemus, et cum ipso in gloria regnaremus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Pentecostes.

PER Jesum Christum Dominum nostrum; secundum cujus veracem promissionem Spiritus Sanctus hodie, facto repente sono tanquam advenientis spiritus vehementis, de cœlo, in similitudine linguarum tanquam ignis, in Apostolos descendit, ut eos doceret, et in omnem veritatem duceret: quibus etiam contulit et diversarum donum linguarum, et fortitudinem qua cum ferventi zelo omnes gentes constanter evangelizarent: quo factum est ut nos ex tenebris erroris in claram lucem et veram cognitionem tui, et Filii tui Jesu Christi, educti essemus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Festo Trinitatis.

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, Omnipotens, Æterne Deus, qui unus es Deus, unus es Dominus; non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitate Substantiæ. Quod enim de Patris gloria credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Quem laudant Angeli [atque Archangeli, Cherubin quoque ac Seraphin, qui non cessant clamare, una voce dicentes:]

Post quam Præfationem sequetur immediatè,

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in Nomine Domini. Gloria tibi, Domine, in excelsis.

Hoc Clerici etiam cantabunt.

Clericis a cantu cessantibus, Sacerdos vel Diaconus se ad populum convertat, et dicat,

Oremus pro universo statu Ecclesiæ Christi.

Deinde Sacerdos, ad Altare conversus, dicat vel cantet, plane et distincte, hanc orationem sequentem:

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per Sanctum Apostolum tuum nos docuisti facere orationes, obsecrationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus; Supplices te rogamus ut clementer has preces nostras exaudias, quas offerimus Divinæ Majestati tuæ: Supplicantes ut spiritum veritatis, unitatis, et concordiæ Catholicæ Ecclesiæ tuæ perpetuo inspires: Et præsta ut omnes qui sanctum Nomen tuum confitentur, in sancti verbi tui veritate consentiant, et in unitate et pia charitate concordes vivant. Præcipue te rogamus ut salvum facias et defendas famulum tuum Edvardum regem nostrum, ut sub eo piè et tranquille gubernemur. Præsta quoque universo Concilio ejus, singulisque magistratu sub eo fungentibus, ut recte ac sine personarum acceptione jus dicant, quo scelera et nequitia corrigantur, et vera Dei religio, virtusque, stabiliantur. Da gratiam, Pater cœlestis, omnibus Episcopis, Pastoribus, et Parochis, ut tam vita quam doctrina sua verum vivumque verbum tuum annuntient, et sancta tua Sacramenta recte et rite ministrent. Et universo populo tuo tribue cœlestem gratiam tuam; ut humili animo et debita reverentia audiant et accipiant sanctum verbum tuum, et tibi fideliter serviant in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ suæ.

Supplices etiam te rogamus, Domine, ut pro bonitate tua eos omnes consoleris et adjuves, qui in hac temporali vita, tribulatione, mœstitia, inopia, morbo, aliisve rebus adversis laborant. Et præcipue commendamus bonitati tuæ misericordi istam familiam tuam hic in Nomine tuo ad faciendam commemorationem gloriosissimæ Mortis Filii tui congregatam.

Item, Tibi laudem summam offerimus gratiasque sinceras propter admirabilem gratiam et virtutem in omnibus Sanctis tuis ab initio mundi declaratam; et potissimum in gloriosa et beatissima Virgine Maria, Matre Filii tui Jesu Christi Domini Dei nostri; et in sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, et Martyribus, quorum exempla et constantiam in fide tua, et in sanctis mandatis tuis servandis, tu nobis, Domine, sequi concedas. Commendamus etiam, Domine, misericordiæ tuæ cæteros famulos tuos qui hinc a nobis decesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis: ipsis misericordiam tuam, quæsumus, dones, pacemque sempiternam; et ut in die Resurrectionis omnium hominum nos et omnes qui sint de Corpore Mystico Filii tui a dextris ejus una statuamur, et istam ejus jucundissimam vocem audiamus, Venite ad me, vos benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Hoc, Pater, largiri digneris, propter Jesum Christum, unicum nostrum Mediatorem atque Advocatum.

DEUS, Pater cœlestis, qui pro misericordiæ tuæ pietate unicum Filium tuum Jesum Christum dedisti ut mortem in Cruce pateretur pro nostra redemptione; qui ibi (unica sua oblatione semel facta) plenum, perfectum, et sufficiens sacrificium, oblationem, et satisfactionem pro totius mundi peccatis fecit; et instituit, et in sancto Evangelio suo nobis celebrare præcepit, pretiosæ mortis illius memoriam, usque dum ipse rediret, perpetuam: Exaudi nos, misericors Pater, te rogamus; et hæc tua munera et creaturas Panis et Vini Sancto tuo Spiritu et verbo bene✠dicere et sanc✠tificare digneris, ut sint nobis Corpus et Sanguis dilectissimi Filii tui Jesu Christi: Qui, in qua nocte tradebatur (Hic Sacerdos accipiat

Panem in manus suas:) accepit Panem; et tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite et manducate; Hoc est enim Corpus Meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens (Hic Sacerdos accipiat Calicem in manus suas:) Calicem; item tibi gratias agens, dedit illis, dicens, Bibite ex eo omnes; Hic est enim Sanguis Meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

Hæc verba præcedentia dicat Sacerdos, usque ad Altare conversus, sine ulla elevatione vel monstratione Sacramenti ad populum.

UNDE et humiles, Domine Pater cœlestis, nos tui servi, secundum institutionem dilecti Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi, hic coram divina Majestate tua, de his tuis sanctis donis ac datis memoriam celebramus et facimus quam nobis Filius tuus facere præcepit: memores ejusdem tam beatæ Passionis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ Resurrectionis: tibi gratias ex animo agentes propter innumerabilia beneficia nobis inde collata; suppliciter rogantes paternam tuam bonitatem ut hoc nostrum laudis et gratiarum sacrificium benignus accipias; humillime supplicantes ut propter Merita et Mortem Filii tui Jesu Christi, et per fidem in Sanguine ipsius, et nos et universa Ecclesia tua peccatorum remissionem et cætera omnia Passionis ejus beneficia consequamur. Et hic, tibi, Domine, offerimus et exhibemus nosmetipsos, animas et corpora nostra, tibi hostiam rationabilem, sanctam, et viventem; supplices te rogantes ut quotquot hujus sacræ Communionis participes futuri sint pretiosissimum Corpus et Sanguinem Filii tui Jesu Christi digne accipiant, et omni benedictione cœlesti et gratia tua repleantur, et unum fiant corpus cum Filio tuo Jesu Christo, ut Ipse in eis habitet, et ei in Ipso. Et quamvis propter multiplicia peccata nostra non digni simus qui ullum sacrificium tibi offeramus, hanc

tamen debitam oblationem servitutis nostræ, quæsumus, accipias, et has preces et supplicationes nostras jubeas perferri, per ministerium sanctorum Angelorum tuorum, in sanctum Tabernaculum tuum in conspectu divinæ Majestatis tuæ; non æstimator meriti, sed veniæ largitor, per Christum Dominum nostrum; per quem, et cum quo, sit tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

PRÆCEPTIS Christi Salvatoris nostri moniti et instituti, audemus dicere: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos a malo. Amen.

Tunc dicat Sacerdos.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Clerici. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos.

AGNUS noster Paschalis Christus semel est pro nobis oblatus, cum peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; Ipse enim verus est Agnus Dei qui tollit peccata mundi: itaque jucundam et sanctam solemnitatem cum Domino celebremus.

Deinde Sacerdos, ad eos conversus qui convenerunt ad Sacram Communionem, dicat,

VOS quos vere et serio peccatorum vestrorum coram Deo Omnipotente pœnitet, qui erga proximos veram habetis charitatem, et novam vitam instituere decrevistis, mandatis Dei obsequendo, et in sanctis viis ejus posthac ambulando; Accedite, et hoc sanctum Sacramentum percipite ad vestram consolationem; humilem vestram confessionem facite Deo Omnipotenti, et Sanctæ Ecclesiæ suæ hic in Nomine suo congregatæ, reverenter genuflexi.

Deinde fiat hæc generalis Confessio in nomine eorum omnium qui Sacram

Communionem percipere velint, vel per unum ex iis, vel per unum ex Ministris, vel per ipsum Sacerdotem, omnibus humiliter genuflexis.

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini Jesu Christi, Conditor omnium rerum, Judex omnium hominum; Confitemur et deploramus multiplicia peccata et delicta nostra, quæ, subinde, impie admisimus, cogitatione, verbo, et opere, contra divinam Majestatem tuam, provocantes adversus nos justissimam iram et indignationem tuam. Serio nos pœnitet, et ex animo dolemus ob has prævaricationes nostras; quarum recordatio nobis acerba est, onus intolerabile. Miserere nostri, miserere nostri, Pater misericors; propter Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, quod præteritum est nobis condona; et concede ut semper posthac tibi in novitate vitæ serviamus, ad honorem et gloriam Nominis tui; per Jesum Christum Dominum nostrum.

Deinde Sacerdos erigat se, et ad populum conversus, ita dicat:

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro magna misericordia sua omnibus ex animo pœnitentibus, ad se cum vera fide conversis, peccatorum remissionem est pollicitus; Misereatur vestri; et dimittat vobis omnia peccata vestra; liberet vos ab omni malo; conservet et confirmet in omni bono, et ad vitam perducat æternam; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos præterea dicat,

AUDITE quam consolatoriis verbis omnes ad se veraciter conversos alloquitur Christus Salvator noster.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Audite etiam quid dicat Sanctus Paulus.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.

Audite etiam quid dicat Sanctus Johannes.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Pa-

trem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Deinde Sacerdos, ad Dei mensam conversus, genua flectat, et hanc sequentem dicat orationem nomine eorum omnium qui communicare volunt:

NON justitiæ nostræ, misericors Domine, sed multitudinis magnarum miserationum tuarum fiducia, ad hanc Mensam tuam accedere audemus: Non sumus digni qui vel micas sub Mensa tua colligamus; Tu autem idem ille es Dominus cui proprium est semper misereri: Tribuas igitur nobis, benigne Domine, carnem dilecti Filii tui Jesu Christi ita manducare et Sanguinem ejus bibere in sacrosanctis hisce Mysteriis, ut nos perpetuo habitemus in eo, et ipse in nobis, ut corpora nostra immunda per Corpus ejus mundentur, et animæ per pretiosissimum ejus Sanguinem laventur. Amen.

Tum Sacerdos Communionem sub utraque specie ipse primus sumat, deinde eam aliis Ministris, siqui adsint, tradat, ut parati sint ad summum Ministrum adjuvandum, et postea populo.

Et cum Sacramentum Corporis Christi tradit, unicuique hæc verba dicat:

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam.

Et Minister Sacramentum Sanguinis tradens, et unicuique semel dans bibere, et non amplius, dicat,

SANGUIS Domini nostri Jesu Christi, qui pro te effusus est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam.

Si Diaconus adsit, vel alius Sacerdos, cum Calice sequatur; et, dum Sacerdos Sacramentum Corporis ministrat, Sacramentum Sanguinis ministret, (ut expeditius fiat) secundum formulam suprascriptam.

Tempore Communionis cantent Clerici,

AGNUS Dei, qui tollis peccata mundi: Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis pec-

cata mundi : Dona nobis pacem.

eo tempore incipientes quum Sacerdos accipit Sacram Communionem:

Et finita Communione, cantent Clerici Post-Communionem.

Capitula Sacræ Scripturæ, e quibus unum, pro Post-Communione, quam vocant, singulis diebus dicatur aut cantetur post Sacram Communionem.

SI quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Matth. xvi.

Qui sustinuerit in finem, hic salvus erit. Mar. xiii.

Benedictus Dominus Deus Israel; quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Ideo serviamus illi omnibus diebus nostris, in sanctitate et justitia coram ipso accepti. Luc. i.

Beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes. Luc. xii.

Vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Luc. xii.

Ille servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. xii.

Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Joan. iv.

Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. v.

Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Joan. viii.

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Joan. xii.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Joan. xiv.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Joan. xiv.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. Joan. xv.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Joan. xv.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. xv.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omni-

bus tradidit illum. ad Rom. viii.

Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? ad Rom. viii.

Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. ad Rom. xiii.

Christus Jesus factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut (quemadmodum scriptum est) Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1 ad Cor. i.

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. 1 ad Cor. iii.

Empti estis pretio magno. Glorificate Deum in corpore vestro, et in spiritu vestro, Dei enim sunt. 1 ad Cor. vi.

Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. ad Ephes. v.

Deinde Sacerdos Deo gratias agat, in nomine eorum omnium qui communicaverunt; prius autem dicat, conversus ad populum,

Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tibi toto cordis affectu gratias agimus, quia nos in his sanctis Mysteriis cibo spirituali pretiosissimi Corporis et Sanguinis Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi pascere dignatus es; et nos eadem recte accipientes certiores fecisti de gratia et bonitate tua erga nos; et quod sumus vera membra corpori Filii tui mystico, fidelium omnium beatæ societati, incorporata, et hæredes secundum spem æterni regni tui, propter merita pretiosissimæ Mortis et Passionis dilecti Filii tui. Te igitur, cœlestis Pater, supplices rogamus, ut gratiæ tuæ subsidiis adjuti in sancta illa societate perseveremus, et ea omnia bona faciamus opera, quæ præparasti ut in illis ambulemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui sit tecum, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum.

Deinde Sacerdos, ad populum conversus, eos hac benedictione dimittat:

PAX Dei (quæ exsuperat omnem sensum) custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum.

Deinde populus respondeat,

Amen.

Ubi nulli sint Clerici, Sacerdos ea omnia dicat quæ hic eis cantanda assignantur.

Quum Sacra Communio in feriis celebratur, vel in domibus privatis, tunc Gloria in excelsis, Credo, Homilia, et Exhortatio quæ incipit **Vos, dilectissimi &c.,** omitti possunt.

ORATIONES, quarum una post Offertorium dicenda est his diebus quibus nulla est Communio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, præsenti misericordiæ tuæ semper protegantur auxilio. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

DIRIGERE et sanctificare et regere dignare, Domine Deus Omnipotens et æterne, quæsumus, corda et corpora nostra in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic et in æternum, te auxiliante, et corpore et anima sani et salvi custodiamur. Per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum. Amen.

PRÆSTA, quæsumus, Omnipotens Deus, ut verba quæ hodie auribus exterius accepimus, ita gratia tua cordibus nostris interius inserantur, ut in nobis bonæ vitæ fructum proferant, ad honorem et laudem Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur, quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

OMNIPOTENS Deus, totius sapientiæ fons, cui patet quod opus sit nobis anteaquam petamus, et nostra in petendo ignorantia: Miserere, quæsumus, infirmitatum nostrarum; et quæ pro indignitate nostra petere non audemus, et pro cæcitate nostra non possumus, tu nobis propitius concedere digneris, propter dignitatem Filii tui Jesu Christi Domini nostri. Amen.

OMNIPOTENS Deus, qui in Nomine Filii tui rogantium petitiones exaudire promisisti; Aures tuas, quæsumus, nobis benignus inclina, qui jam preces et supplicationes nostras coram te fecimus: et concede ut quæ secundum voluntatem tuam fideliter rogavimus, efficaciter consequamur, ad subsidium necessitatis nostræ et ad illustrandam gloriam tuam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro pluvia.

DEUS, Pater cœlestis, qui per Filium tuum Jesum Christum universis regnum tuum et justitiam ejus quærentibus omnia corporali vitæ necessaria promisisti: Nobis, quæsumus, in hac nostra necessitate pluviam tribue congruentem; ut terræ fructus ad nostram consolationem et honorem tuum percipiamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Pro aeris serenitate.

DOMINE Deus, qui olim, propter hominum peccata, mundum universum, octo tantum hominibus exceptis, submersisti, et postea, pro bonitate tua, pollicitus es eum non iterum te ita deleturum; Supplices te rogamus, ut quamvis propter iniquitatem nostram nimia ista pluvia vexari meriti simus, pœnitentibus tamen eam aeris tribuas serenitatem qua terræ fructus tempore opportuno percipiamus, et per pœnam illatam mores emendare, et propter tuam petitionis nostræ concessionem tibi grates reddere discamus. Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Feriis quartis et sextis Litania Anglicè dicatur aut cantetur in omnibus locis, eam secundum formam quæ Injunctionibus Regiæ Majestatis præscripta est; vel quæ aliter a Celsitudine sua præscripta sit vel fuerit.

Et licet nemo sit qui cum Sacerdote communicare velit, istis tamen diebus (post Litaniam finitam) Sacerdos Albam simplicem induat, vel Superpelliceum, cum Cappa, et omnia dicat ad Altare (quæ in celebranda Cœna Dominica sunt dicenda) usque ad Offertorium inclusive: Et deinde addat unam vel plures ex Orationibus suprascriptis, prout opus sit, ad suum arbitrium. Deinde, ad populum conversus, dimittat eos usitata benedictione.

Secundum eundem ordinem fiant omnia cœteris diebus, quandocunque populus in Ecclesia ad orandum convenire soleat, nullus autem cum Sacerdote communicare velit.

Item, Neque in Capellis adjacentibus, nec in alio quocumque loco, fiat celebratio Cœnæ Dominicæ, nisi adsint qui cum Sacerdote communicare velint. Et in hujusmodi Capellis adjacentibus, ubi moris non fuit ut populus panem sacrum solvat, vel pro charitate sua provideant ut Communionis impensæ tolerentur, vel ad eam accipiendam ad Parochialem suam Ecclesiam conveniant.

Ut auferatur omnis materia et occasio dissensionis, Panis in Communionem præparatus eundem in modum et speciem per hoc universum Regnum fiat; videlicet, sine fermento, et forma rotunda, sicut antea, sed sine ulla quacumque specie impressionis, et aliquantulo major et altior quam fuit antea, quo convenienter in plures particulas dividi possit: unusquisque autem in duas ad minimum particulas, vel plures, ad arbitrium Ministri, dividetur, et ita distribuatur. Nec minus in parte accipi quam in toto æstiment homines, sed in unaquaque particula totum Corpus Salvatoris nostri Jesu Christi.

Item, Quia Pastores et Parochi intra hoc Regnum in Parochiis suis, sumptibus et impensis suis, Panis et Vini quod ad Sacram Communionem sufficiat perpetuo providebunt, (quandocunque Parochiani sui eam in spiritualem suam consolationem accipere velint) ideo Parochianis cujuscunque Parochiæ mandatum est, ad hujusmodi sumptus impensasque rependendas, singulis Dominicis, tempore Offertorii, justum

valorem pretiumque panis sacri offerre (cum omni pecunia cœterisque quæ cum eo offerri solebant) in usum Pastorum Parochorumque suorum, idque in eodem ordine et cursu quo dictum panem sacrum providere et solvere solebant.

Item, Ut receptio Sacramenti beati Corporis et Sanguinis Christi cum ejus Sacramenti institutione et cum consuetudine Ecclesiæ Primitivæ optime congruat; in Ecclesiis omnibus Cathedralibus et Collegiatis alii etiam communicent cum Sacerdote qui ministrat. Et ut idem observetur passim et ubique per Regnum, unus aliquis ad minimum ex ea familia in singulis Parochiis cui, in ordine vicis suæ, secundum ordinationem suprascriptam, pro Communionis impensis offerre pertinet, vel aliquis alius quem ut eorum loco offerat providerint, Sacram Communionem cum Sacerdote accipiat: id quod convenientius fieri potest quum de tempore vicis suæ prius certiores facti sunt, ideoque se ad Sacramentum digne accipiendum disponere possunt. Et una cum illo vel illis qui ita pro impensis Communionis offerunt, cœteri etiam qui tunc ad id sunt pie præparati Communionem accipiant. Ita Minister, nonnullos semper habens qui secum communicent, tanta et tam sancta Mysteria possit celebrare cum Suffragiis omnibus et ordine debito huic officio assignatis. Et Sacerdos in feriis a celebratione Communionis abstineat nisi quosdam habeat qui cum eo communicent.

Præterea, Vir omnis et fœmina Divinum Servitium audire tenetur, et adesse, in Ecclesia Parochiali ubi habitant, ibique orationi devotæ vel tacitæ meditationi pie intendere; ibi Debita sua persolvere, semel ad minimum in anno communicare, et ibi cœtera Sacramenta Ritusque qui in hoc Libro ordinantur participare. Quicumque vero voluntarie, nullam justam ob causam, Ecclesiam Parochialem dereliquerit, vel in ea impie se gesserit, re perspecta, secundum Regni Leges Ecclesiasticas excommunicetur, vel aliam patiatur pœnam, prout Judici Ecclesiastico visum fuerit, ad ejus arbitrium.

Item, Quanquam legatur apud antiquos scriptores

populum multis abhinc annis Sacramentum Corporis Christi de manibus Sacerdotis suas in manus accipere solitum fuisse, nec aliter a Christo ordinatum sit; tamen, quia id sæpe abstulerunt, secum detinuerunt, variisque modis ad superstitionem et impietatem detorserunt; ne postea hujusmodi quidquam suscipiatur, et ut per universum Regnum eadem prævaleat consuetudo, convenire videtur populum vulgo Sacramentum Corporis Christi in ore suo accipere, de manu Sacerdotis.

LITURGIA SCOTICANA

QUÆ IN USU HABETUR

IN ECCLESIA SCOTICANA EPISCOPALI.

ITURGIA SCOTICANA

QUÆ IN USU HABETUR

CLESIA SCOTICANA EPISCOPALI.

stans ad Altare, dicat,

 noster, qui es in Sanctificetur No- . Adveniat reg- ı. Fiat voluntas in cœlo, et in ıem nostrum quo- .a nobis hodie. Et bis debita nostra,)s dimittimus de- ostris. Et ne nos :entationem; Sed a malo. Amen.

Oratio.

?OTENS Deus, mne cor patet et ıntas loquitur, et ım latet secretum: per infusionem ritus cogitationes tri, ut te perfecte sanctum Nomen ıe laudare mere- :r Christum Do- strum. *Amen.*

Tum Sacerdos, ad populum conversus, DECEM MANDATA clarè re-citet; populus autem, genibus flexis, post unumquodque Mandatum a Deo indulgentiam pro violatione ejusdem tempore præterito, et gratiam qua id observent in futuro, in hunc modum postulet.

Minister. **Locutus est Deus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos coram me.**

Populus. **Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.**

Minister. **Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque**

coles: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit Nomen Domini Dei sui frustra.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Honora patrem tuum et matrem tuam; ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non occides.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non mœchaberis.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non furtum facies.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam,

non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Populus. Domine, miserere nostri, et has omnes leges tuas in cordibus nostris, quæsumus, inscribas.

Sive, loco recitationis Decem Mandatorum, licet Sacerdoti, arbitrio suo, Legis Summa uti, ut sequitur.

Minister.

JESUS autem respondit et ait illi, Audi, Israel: Dominus Deus noster, Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est illi; Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.

Populus. Domine, miserere nostri, et has leges tuas in cordibus nostris, quæsumus, inscribas.

Deinde dicatur Oratio pro gratia et virtute qua Mandata observemus, Sacerdote stante ut antea, et dicente,

Oremus.

DIRIGERE et sanctificare et regere dignare, Domine Deus Omnipotens et æterne, quæsumus, corda et corpora nostra in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic et in æternum, te auxiliante, et corpore et anima sani et salvi custodiamur. Per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum. *Amen.*

Vel altera ex hisce duobus Orationibus pro Regina uti licet.

OMNIPOTENS Deus, cujus regnum est æternum, et potentia infinita; Miserere universæ Ecclesiæ; et sic dirige cor electæ famulæ tuæ Victoriæ, Reginæ et gubernatricis nostræ, ut cognoscat se esse ministrum tuum, et ante omnia quærat gloriam et honorem tuum: et ut nos omnesque ejus subditi, agnoscentes, ut decet, eam a te habere imperium, fideliter ei serviamus, eam honoremus, et ipsi humiliter obsequamur, in te et propter te, juxta præceptum et ordinationem tuam. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus

Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ***Amen.***

Sive,

OMNIPOTENS sempiterne Deus, in cujus verbo sancto docemur corda Regum in manibus tuis esse gubernanda, et a te prout divinæ sapientiæ tuæ visum sit disponi et inclinari: Supplices te rogamus ut cor Victoriæ famulæ tuæ, Reginæ et gubernatricis nostræ, ita disponas et gubernes, ut in omnibus suis cogitationibus, verbis, et operibus, tuum honorem et gloriam semper quærat, et populum tuum curæ suæ commissum in prosperitate, pace, et pietate custodire studeat: Hoc præsta, misericors Pater, propter dilectum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde dicatur Oratio de Die. Et post eam statim Epistolam legat Sacerdos, dicens, Epistola [Sive Portio Scripturæ pro Epistola assignata] scripta est in Capitulo —— et incipit ad Versum ——. Finita Epistola, dicat, Hic explicit Epistola. Deinde legat Evangelium dicens, Sanctum Evangelium scriptum est in Capitulo **—— et incipit ad Versum —— et populus se erigat et devotè cantet vel dicat, Gloria Tibi, Deus. Similiter, Evangelio finito, populus cantet vel dicat, Gratias Tibi, Domine, propter istum gloriosum Evangelium tuum. Deinde cantetur vel dicatur hoc sequens Symbolum, populo adhuc stante, ut antea.**

CREDO in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cœli et terræ, Atque visibilium omnium et invisibilium:

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, Consubstantialem Patri: Per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, Et homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato. Passus et sepultus est, Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, Et ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vi-

vos et mortuos: Cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, Qui locutus est per Prophetas. Et unam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, Et exspecto Resurrectionem mortuorum, Et vitam venturi sæculi. Amen.

Tunc Parochus annuntiet populo ea quæ Hebdomade sequenti observanda sint Festa aut jejunia.
Deinde sequatur Concio.
Postea Sacerdos ad Altare revertetur.

Exhortatio.

VOS, dilectissimi in Domino, qui vultis ad Sacram Communionem Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri accedere, considerare oportet quod Beatus Paulus ad Corinthios scribit: quomodo omnes cohortatur, ut prius se probent et inspiciant quam de Pane illo edere, et de Calice illo bibere, audeant. Nam sicut admodum salutare est pœnitenti corde et viva fide sacrosanctum illud percipere Sacramentum: (tunc enim Christi Carnem spiritualiter edimus, et Sanguinem bibimus; in Christo habitamus, et Christus in nobis; unum efficimur cum Christo, et nobiscum Christus;) ita etiam idem indigne accipientibus grave est periculum. Tunc enim rei sumus Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri: judicium nobis manducamus et bibimus, non dijudicantes Corpus Domini: iram Dei contra nos accendimus, provocantes eum ut nos variis morborum mortisque plagis percutiat. Dijudicate ergo vosmetipsos, fratres, ne a Domino judicemini: pœniteat vos serio peccatorum præteritorum: in Christo Salvatore constantissime confidite: mores vestros corrigite: erga omnes perfectam habete charitatem: ita enim digni eritis qui istorum Mysteriorum sacrorum sitis participes. Sed et ante omnia necesse est ut Deo, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, toto cordis affectu gratias humiliter agatis, quod mundum redemit per Passionem et Mortem Christi Salvatoris nostri, Dei et Hominis, qui humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter nos miseros pecca-

tores, qui in tenebris et mortis umbra jacebamus: ut nos Dei filios efficeret, et ad vitam æternam exaltaret. Et ut semper memores essemus ineffabilis illius charitatis Magistri nostri et unici Salvatoris, Jesu Christi, pro nobis ita mortui, et beneficiorum innumerabilium quæ per pretiosam Sanguinis sui effusionem nobis comparavit, sancta ipse Mysteria instituit, tanquam amoris sui pignora, et in mortis suæ perpetuam commemorationem, ad insignem nostram et infinitam consolationem. Ei igitur, cum Patre et Spiritu Sancto, (prout merito debemus,) gratias agamus indeficientes; sanctæ ejus voluntati totos nos subjiciamus, et ei in vera sanctitate et justitia, omnibus diebus vitæ nostræ servire studeamus. *Amen.*

Deinde Presbyter, vel Diaconus, dicat,

OBLATIONES nostras offeramus Domino cum metu et reverentia.

Postea Presbyter incipiat Offertorium, unam vel plures dicens ex hisce sequentibus Sententiis, prout ejus arbitrio visum fuerit, prout per tempus longius aut brevius populus offerat.

FACTUM est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero, et ad munera illius, non respexit. Gen. iv. 3, 4, 5.

Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias, ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. Exod. xxv. 2.

Non apparebit ante Dominum vacuus: sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. Deut. xvi. 16, 17.

Afferte Domino gloriam Nomini Ejus: tollite hostias, et introite in atria Ejus. Psal. xcvi. 8.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. S. Matt. vi. 19, 20.

Non omnis qui dicit mihi,

Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit. S. Matt. vii. 21.

Sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans discipulos suos, ait illis, Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum. S. Marc. xii. 41, 42, 43, 44.

Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 1 Cor. ix. 7.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. 1 Cor. ix. 11.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. 1 Cor. ix. 13, 14.

Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 2 Cor. ix. 6, 7.

Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Gal. vi. 6, 7.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis omnia abunde adfruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1 Tim. vi. 17, 18, 19.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in Nomine Ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis. Heb. vi. 10.

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis

promeretur Deus. Heb. xiii. 16.

Dum Presbyter distincte pronuntiat aliquas vel omnes has sententias pro Offertorio, Diaconus, vel (si nullus adsit) alius quisquam idoneus, populi adstantis dona devota in vase ad hoc præparato accipiat. Et quum omnes obtulerunt, vas oblationes continens reverenter afferat, et tradat Presbytero, qui id humiliter offerat coram Domino, et in Sacra Mensa ponat, dicens,

BENEDICTUS es, Domine Deus, ab æterno in æternum: Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria: cuncta enim quæ in cœlo sunt, et in terra, Tua sunt: Tuum, Domine, regnum, et Tu es super omnes principes; Tuæ divitiæ, et Tua est gloria; et quæ de manu Tua accepimus, dedimus Tibi. *Amen.*

Deinde Presbyter offerat Panem et Vinum, Sacramento præparata, et deponat in Mensa Dominica; et dicat,

DOMINUS vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Presbyter. Sursum corda.

Resp. Habemus ad Dominum.

Presbyter. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Resp. Dignum et justum est.

Presbyter.

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater* omnipotens, æterne Deus.

* [Hæc verba sancte, Pater in Dominica SS. Trinitatis omittenda sunt.]

Hic sequatur Propria Præfatio de Tempore, si quæ assignata sit; alioqui statim subjungatur,

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua: Gloria tibi, Domine altissime. *Amen.*

PRÆFATIONES PROPRIÆ.

In Die Nativitatis Domini, et septem diebus sequentibus.

QUIA dedisti Jesum Christum, Filium tuum unicum, ut hodierna die* pro nobis nasceretur: qui, operante Spiritu Sancto, verus Homo factus est ex substantia Virginis Mariæ matris suæ: idque sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Et ideo cum Angelis, &c.

* [In septem diebus post Diem Nativitatis, dicas, hoc tempore.]

In Die Paschæ, et septem diebus sequentibus.

SED te potissimum prædicare, propter Resurrectionem gloriosam Filii tui Jesu Christi Domini nostri: Ipse enim verus est Agnus Paschalis, qui pro nobis immolatus abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo nobis æternam reparavit. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Ascensionis Domini, et septem diebus sequentibus.

PER dilectissimum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum; qui post gloriosissimam Resurrectionem suam omnibus Apostolis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut pararet nobis locum: ut ubi ipse est, eo et nos ascenderemus, et cum ipso in gloria regnaremus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Pentecostes, et sex diebus sequentibus.

PER Jesum Christum Dominum nostrum; secundum cujus veracem promissionem Spiritus Sanctus hodierna die,* facto repente sono tanquam advenientis spiritus vehementis, de cœlo in similitudine linguarum tanquam ignis, in Apostolos descendit, ut eos doceret, et in omnem veritatem duceret: quibus etiam contulit et diversarum donum linguarum, et fortitudinem qua cum ferventi zelo omnes gentes constanter evangelizarent: quo factum est ut nos ex tenebris erroris in claram lucem et veram cognitionem tui, et Filii tui Jesu Christi, educti essemus. Et ideo cum Angelis, &c.

* [In sex diebus post

Pentecosten, dicas, hoc tempore.]

In Festo tantum SS. Trinitatis.

QUI unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate Personæ, sed in unius Trinitate Substantiæ. Quod enim de Patris gloria credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Et ideo cum Angelis, &c.

Et post Præfationes hæc Doxologia immediate sequatur.

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen Tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua: Gloria Tibi, Domine altissime. *Amen.*

Deinde Presbyter, stans ad eam Sacræ Mensæ partem, ubi convenientissime et decentissime ambabus manibus uti possit, dicat Orationem Consecrationis, ut sequitur.

OMNIS gloria Tibi, Omnipotens Deus, Pater noster cœlestis, quia Tu, pro misericordiæ Tuæ pietate, unicum Filium Tuum, Jesum Christum, dedisti, ut mortem in Cruce pateretur pro nostra redemptione; Qui (sua ipsius oblatione semel facta) plenum, perfectum, et sufficiens sacrificium, oblationem, et satisfactionem pro totius mundi peccatis fecit, et instituit, et in sancto Evangelio suo nobis præcepit observare, pretiosæ mortis illius et sacrificii memoriale, usque dum Ipse rediret, perpetuum.

NAM, in qua nocte tradebatur (Hic Presbyter in manus suas accipiat Patenam:) accepit Panem; et Tibi gratias agens (Hic frangat Panem:) fregit deditque discipulis suis, dicens, Accipite, et manducate, (Hic omni Pani manum imponat:) Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem.

SIMILI modo posteaquam cœnatum est, accipiens (Hic in manum suam calicem accipiat:) Calicem; item Tibi gratias agens, dedit illis, dicens, Bibite ex eo omnes, (Hic

manum imponat cuique vasi, sive calici sive lagenæ, quo insit vini aliquod consecrandi:) Hic est enim Sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis, effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

OBLATIO.

UNDE et humiles, Domine, Pater cœlestis, nos tui servi, secundum institutionem dilecti Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi, hic coram divina Majestate tua, de his tuis sanctis donis ac datis quæ nunc offerimus Tibi, memoriam celebramus et facimus quam nobis Filius tuus facere præcepit: memores ejusdem tam beatæ Passionis et pretiosæ Mortis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ Ascensionis; Tibi gratias ex animo agentes propter innumerabilia beneficia nobis inde collata.

INVOCATIO.

SUPPLICES Te rogamus, misericors Pater, exaudi nos, et, pro Tua bonitate omnipotente, hæc Tua munera et creaturas Panis et Vini Sancto tuo Spiritu et Verbo benedicere et sanctificare digneris, ut fiant Corpus et Sanguis dilectissimi Filii tui.

INTENTIUS etiam rogamus paternam tuam bonitatem ut hoc nostrum laudis et gratiarum sacrificium benignus accipias, humillime supplicantes ut propter Merita et Mortem Filii Tui Jesu Christi, et per fidem in Sanguine Ipsius, et nos et universa Ecclesia Tua peccatorum remissionem et cætera omnia Passionis Ejus beneficia consequamur.

ET hic Tibi, Domine, humiliter offerimus et exhibemus nosmetipsos, animas et corpora nostra, Tibi hostiam rationabilem, sanctam, et viventem; Te rogantes, ut quotquot hujus sacræ Communionis participes futuri sint pretiosissimum Corpus et Sanguinem Filii Tui Jesu Christi digne accipiant, et omni benedictione cœlesti et gratia tua repleantur, et unum fiant corpus cum Eo, ut Ipse in eis habitet, et ei in Ipso.

ET quamvis propter multiplicia peccata nostra non digni simus qui ullum sacrificium Tibi offeramus, hanc tamen debitam oblationem servitutis nostræ, non æstimator meriti sed veniæ, quæsumus, largitor

accipias, per Jesum Christum Dominum nostrum;

PER Quem et cum Quo est Tibi Deo Patri Omnipotenti, in Unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Oremus pro universo statu Ecclesiæ Christi.

OMNIPOTENS Sempiterne Deus, qui per sanctum Apostolum tuum nos docuisti facere orationes, obsecrationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Supplices te rogamus ut clementer eleemosynas atque oblationes nostras accipias, et has preces nostras exaudias, quas offerimus Divinæ Majestati tuæ: Supplicantes ut spiritum veritatis, unitatis, et concordiæ Catholicæ Ecclesiæ tuæ perpetuo inspires: Et præsta ut omnes qui sanctum Nomen tuum confitentur, in sancti verbi tui veritate consentiant, et in unitate et pia charitate concordes vivant.

INSUPER te rogamus ut omnes Christianos Reges, Principes, et Gubernatores, salvos facias et defendas; et præcipue famulam tuam Victoriam Reginam nostram; ut sub ea

pie et tranquille g
mur: Præsta quoq
verso Concilio ejus
lisque magistratu
fungentibus, ut rect
personarum accept
dicant, quo scelera
quitia corrigantur,
tua religio, virtusqu
liantur.

DA gratiam, Pa
lestis, omnib
copis, Sacerdotibus,
conis, ut tam vita qu
trina sua verum vi
verbum tuum ann
et sancta tua Sac
recte et rite ministr

ET universo po
tribue gratia
ut humili animo e
reverentia audiant
cipiant sanctum
tuum, et tibi fideli
viant in sanctitate e
omnibus diebus vit

ET præcipue c
damus bonit
misericordi istam f
tuam hic in Nom
congregatam ad fac
commemorationem
sissimæ Mortis et S
Filii Tui Salvatori
Jesu Christi.

SUPPLICES et
rogamus, Do
pro bonitate tua eo
consoleris et adjuve
hac temporali vit
latione, mœstitia,

morbo, aliisve rebus adversis laborant.

BENEDICIMUS quoque sancto Nomini tuo propter omnes famulos tuos qui cursum suum consummaverunt in fide et jam requiescunt a laboribus suis.

ITEM, Tibi laudem summam offerimus gratiasque sinceras propter admirabilem gratiam et virtutem in omnibus Sanctis tuis declaratam, qui gratiæ tuæ vasa electa fuere et mundi luminaria in generationibus suis; quorum exempla et constantiam in fide tua, et in sanctis mandatis tuis servandis, tu nobis, Domine, quæsumus supplices, sequi concedas; ut in die Resurrectionis omnium hominum, nos et omnes qui sint de Corpore Mystico Filii tui a dextris ejus statuamur, et istam ejus jucundissimam vocem audiamus, Venite vos benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

HOC, Pater, largiri digneris, propter Jesum Christum unicum nostrum Mediatorem atque Advocatam. *Amen.*

Deinde Presbyter dicat,

PRÆCEPTIS Christi Salvatoris nostri moniti et instituti, audemus dicere,

PATER noster qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum, potentia, et gloria, in sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde Presbyter his verbis communicaturos invitet,

VOS quos vere et serio peccatorum vestrorum pœnitet, qui erga proximos veram habetis charitatem, qui vitam novam instituere decrevistis, mandatis Dei obsequendo, et in viis ejus posthac ambulando: Accedite et hoc sanctum Sacramentum percipite, ad vestram consolationem: et, reverenter genuflexi, humilem vestram Deo Omnipotenti confessionem facite.

Deinde fiat hæc generalis Confessio a populo, una cum Presbytero, ipso prius genuflexo.

OMNIPOTENS Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Conditor omnium rerum, Omnium hominum judex: Confitemur et deploramus multiplicia peccata et delicta nostra, Quæ subinde impie admisimus, Cogitatione, verbo, et opere, Contra Divinam Majestatem tuam, Provocantes adversus nos justissimam iram et indignationem tuam. Serio nos pœnitet, Et ex animo dolemus ob has prævaricationes nostras: Quarum recordatio nobis acerba est, onus intolerabile. Miserere nostri, Miserere nostri, Pater misericors; Propter Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, Quod præteritum est nobis condona: Et concede ut semper posthac Tibi in novitate vitæ Serviamus et placeamus, Ad honorem et gloriam Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Presbyter (aut Episcopus, si adsit) se erigat et ad populum conversus, hanc pronuntiet Absolutionem.

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro magna misericordia sua omnibus ex animo pœnitentibus, ad se cum vera fide conversis, peccatorum remissionem est pollicitus: Misereatur vestri, et dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni bono, et ad vitam perducat æternam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Presbyter dicat etiam,

AUDITE quam consolatoriis verbis omnes ad se veraciter conversos alloquitur Christus Salvator noster.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. S. Matt. xi. 28.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. S. Joan. iii. 16.

Audite etiam quid dicat Sanctus Paulus.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1 Tim. i. 15.

Audite etiam quid dicat Sanctus Joannes.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1 S. Joan. ii. 1, 2.

Deinde Presbyter, ad Altare conversus, genua flectat, et, nomine eorum omnium qui communicare volunt, hanc sequentem dicat Collectam de Humili Accessu ad Sacram Communionem.

NON justitiæ nostræ, misericors Domine, sed multitudinis magnarum miserationum tuarum fiducia, ad hanc Mensam tuam accedere audemus. Non sumus digni qui vel micas sub Mensa tua colligamus. Tu autem idem ille es Dominus, cui proprium est semper misereri: Tribuas igitur nobis, benigne Domine, Carnem dilecti Filii tui Jesu Christi ita manducare, et Sanguinem ejus bibere, ut corpora nostra immunda per Corpus ejus mundentur, et animæ per pretiosissimum ejus Sanguinem laventur, et nos perpetuo habitemus in eo, et ipse in nobis. ***Amen.***

Deinde Episcopus, si adsit, vel Presbyter qui celebrat, Communionem sub utraque specie ipse primus sumat, eamque postea aliis Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, (siqui adsint) tradat, et postea populo, ordine debito, omnibus humiliter genuflexis. Et cum vel ipse sumit vel aliis tradit Sacramentum Corporis Christi, dicat,

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam.

Hic qui accipit dicat **Amen.**

Et Presbyter vel Minister qui Calicem vel ipse sumit vel aliis tradit, hanc dicat Benedictionem,

SANGUIS Domini nostri Jesu Christi, qui pro te effusus est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam.

Hic qui accipit dicat **Amen.**

Si consumptus fuerit consecratus Panis aut Vinum priusquam omnes communicaverint, Presbyter plus consecret secundum formam antea præscriptam, incipiens a verbis, **Omnis gloria Tibi, &c.** usque ad verba, Ut fiant

Corpus et Sanguis dilectissimi Filii tui.

Cum omnes communicaverint eat celebrans ad Mensam Domini, et quod reliquum est Elementorum Consecratorum mundo linteamine co-operiat, et postea dicat.

NOS qui jam pretiosissimum Corpus et Sanguinem Christi accepimus gratias agamus Domino Deo nostro, qui nos benignus ad participationem Sacrorum Mysteriorum suorum admittere dignatus est; et ab eo gratiam quæramus qua vota nostra reddere et in piis nostris propositis perseverare possimus; quatenus sanctificati vitam æternam consequamur, per merita perfecti et sufficientis Sacrificii Domini et Salvatoris Jesu Christi.

Deinde Presbyter dicat hanc sequentem Collectam pro Gratiarum Actione.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tibi toto cordis affectu gratias agimus quia nos hæc sancta Mysteria recte accipientes cibo spirituali pretiosissimi Corporis et Sanguinis Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi pascere dignatus es; et per hoc nos certiores facere de gratia et bonitate tua erga nos; et quod sumus vera membra corpori Filii tui mystico, fidelium omnium beatæ societati, incorporata, et hæredes secundum spem æterni regni tui, propter merita pretiosissimæ Mortis et Passionis Ejus. Te nunc, cœlestis Pater, supplices rogamus ut gratia et Spiritu Sancto tuo nos ita adjuves ut in sancta illa communione et societate perseveremus, et ea omnia bona faciamus opera, quæ præparasti ut in illis ambulemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum; cui sit, cum Patre, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

Deinde dicatur vel cantetur, Gloria in Excelsis, ut sequitur.

GLORIA in excelsis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater Omnipotens; et tibi, Deus, Fili Unigenite, Jesu Christe; et tibi, Spiritus Sancte, Deus.

Domine Fili unigenite, Jesu Christe; Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. *Amen.*

Deinde Presbyter, (vel Episcopus, si adsit) populum hac Benedictione dimittat,

PAX Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri:

ET Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Secundum consuetudinem universalem Ecclesiæ Scoticanæ licet Sacerdoti de Muneribus Consecratis reservare quantum opus sit ad communionem infirmorum, aliorumque qui Celebrationi in Ecclesia interesse non potuerunt.

LITURGIA ECCLESIÆ AMERICANÆ.

Ordo Administrandi Cœnam Dominicam,

SIVE,

Sacram Communionem.

Si quem eorum qui ad Sacram Communionem accipiendam accedunt Minister manifeste criminosum esse noverit, vel verbis aut facto proximos injuria affecisse, ita ut Populus eo offensus fuerit; eum commonefaciat ne ullo modo audeat accedere ad Mensam Domini donec se pravam vitam suam revera pœnitenter correxisse, et tum Populo, tum illis quos injuria affecerit, satisfecisse ostenderit; vel ad minimum se hoc quamprimum commode fieri possit facturum professus fuerit.

Eodem modo eos etiam admoneat Minister quos inter se simultates et odia habere intelligat; nec eos, donec invicem reconciliatos esse certo sciat, permittat Mensæ Domini fieri participes. Quorum si alter animo lubenti omnem injuriam sibi factam alteri condonare velit, et ipse satisfacere pro eo quod inique fecerit; alter vero, ut cum illo in gratiam, prout Christianum decet, redeat, non adduci possit, sed in malitia sua perseveret obstinatus: tum Minister pœnitentem admittat ad Sacram Communionem, pertinacem vero ab

eadem arceat. Proviso semper, quod omnis Minister, si quos ita arceat, prout hic præscriptum est, totam rem exponat Ordinario quamprimum possit.

Mensa, mundo linteamine albi coloris ei in tempore Communionis superposito, in medio Ecclesiæ stet, aut in Choro; et Minister, stans ad septentrionale Mensæ latus, vel ubi Preces Matutinæ et Vespertinæ sunt dicendæ, dicat Orationem Dominicam, cum Oratione sequenti, Populo genuflexo: sed Orationem Dominicam omittere licet, si Preces Matutinæ jam immediatè ante dictæ sunt.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos a malo: Quia tuum est regnum, Potentia, et Gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Tum Minister, ad Populum conversus, Decem Mandata clarè recitet; Populus autem, genibus flexis, post unumquodque Mandatum a Deo indulgentiam pro violatione ejusdem tempore præterito, et gratiam qua legem observent in futuro, in hunc modum postulet.

Minister. Locutus est Deus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos coram me.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque

coles: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit Nomen Domini Dei sui frustra.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Honora patrem tuum et matrem tuam; ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non occides.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non mœchaberis.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non furtum facies.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Populus. Domine, miserere nostri, et corda nostra ad servandam hanc legem inclina.

Minister. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam,

non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Populus. Domine, miserere nostri, et has omnes leges tuas in cordibus nostris, quæsumus, inscribas.

Licet Ministro hic dicere,

Audite etiam quid dicat Dominus noster Jesus Christus.

DILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.

Oremus.

DIRIGERE et sanctificare et regere dignare, Domine Deus Omnipotens et æterne, quæsumus, corda et corpora nostra in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic et in æternum, te auxiliante, et corpore et anima sani et salvi custodiamur. Per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum. *Amen.*

Deinde dicatur Oratio de Die. Et post eam statim

Epistolam legat Mi
dicens, Epistola
PortioScripturæ pr
tola assignata] scri
in Capitulo ———
cipit ad Versum –
Finita Epistola,
Hic explicit Ep
Deinde (Populo un
se erigente) legat
gelium, dicens, Sa
Evangelium script
in Capitulo ———
cipit ad Versum —

Hic Populus dica
Gloria tibi, Domi

Deinde legatur Sym
vel Apostolorum v
cænum: nisi eoru
terutrum jam imm
ante lectum fuerit i
vitio Matutino.

Tunc Minister ann
Populo ea quæ H
made sequenti obs
da sint Festa a
junia; et (si occasi
Communio indicetu
branda, Denuntia
fiant de conjungen
Matrimonio, et a
quæ sint declaranc
clarentur.

Deinde sequatur C
qua finita, Minist
Communio sit cel
da, ad Mensam D
reversus, incipiat
torium, unam vel

dicens ex hisce sequentibus Sententiis, prout ei visum fuerit.

SIC luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. S. Matt. v. 16.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. S. Matt. vi. 19, 20.

Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: hæc est enim Lex et Prophetæ. S. Matt. vii. 12.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit. S. Matt. vii. 21.

Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. S. Luc. xix. 8.

Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 1 Cor. ix. 7.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 1 Cor. ix. 11.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. 1 Cor. ix. 13, 14.

Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 2 Cor. ix. 6, 7.

Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Gal. vi. 6, 7, 8.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. Gal. vi. 10.

Est quæstus magnus pietas, cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. 1 Tim. vi. 6, 7.

Divitibus hujus sæculi

præcipe facile tribuere, communicare: thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1 Tim. vi. 17, 18, 19.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in Nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. Heb. vi. 10.

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Heb. xiii. 16.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1 S. Joan. iii. 17.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Tob. iv. 7.

Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Tob. iv. 8, 9, 10.

Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei. Prov. xix. 17.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Psal. xli. 2.

Dum hæ Sententiæ leguntur, Diaconi, vel Ædiles, vel alii quidam ad hoc deputati, Eleemosynas pro Pauperibus, cæteraque Populi dona devota, in vase decenti a Parochia ad hoc præparando accipiant: idque reverenter afferant ad Sacerdotem, qui id in Sacra Mensa humiliter offerat et deponat.

Et Sacerdos postea Mensæ imponat Panis et Vini quod satis judicaverit. Quo facto, dicat,

Oremus pro universo statu militantis Ecclesiæ Christi.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per sanctum Apostolum tuum nos docuisti facere orationes, obsecrationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Supplices te rogamus ut clementer [*eleemosynas atque oblationes nostras accipias, et* Si nullæ sint eleemosynæ aut oblationes, hæc verba, *eleemosynas atque oblationes*

nostras accipias, et non sunt dicenda]has preces nostras exaudias, quas offerimus Divinæ Majestati tuæ: Supplicantes ut spiritum veritatis, unitatis, et concordiæ Catholicæ Ecclesiæ tuæ perpetuo inspires: Et præsta ut omnes qui sanctum Nomen tuum confitentur, in sancti verbi tui veritate consentiant, et in unitate et pia charitate concordes vivant. Insuper te rogamus ut corda omnium Gubernatorum Christianorum ita dirigas et disponas, ut recte ac sine personarum acceptione jus dicant, quo scelera et nequitia corrigantur, et vera tua religio, virtusque, stabiliantur. Da gratiam, Pater cœlestis, omnibus Episcopis et aliis Ministris; ut tam vita quam doctrina sua verum vivumque verbum tuum annuntient, et sancta tua Sacramenta recte et rite ministrent. Et universo populo tuo tribue gratiam tuam; et præcipue huic congregationi præsenti; ut humili animo et debita reverentia audiant et accipiant sanctum verbum tuum; et tibi fideliter serviant in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ suæ. Supplices, etiam, te rogamus, Domine, ut pro bonitate tua eos omnes consoleris et adjuves qui, in hac temporali vita, tribulatione, mœstitia, inopia, morbo, aliisve rebus adversis laborant. Benedicimus quoque sancto Nomini tuo propter omnes famulos tuos in fide et timore tuo defunctos: te rogantes ut gratiam nobis concedas, qua, bona eorum exempla secuti, nos una cum illis cœlestis regni tui fiamus participes: Hoc, Pater, largiri digneris, propter Jesum Christum, unicum nostrum Mediatorem atque Advocatum. *Amen.*

Cum Minister celebrationem Sacræ Communionis futuram annuntiat, (id quod semper vel in Dominica, vel in Festo aliquo, proxime præcedenti, faciendum est,) hanc sequentem legat Exhortationem; vel ejus quantum arbitrio suo visum fuerit.

DILECTISSIMI, propositum habeo, Deo adjuvante, die —— proximo omnibus pie et devote animo affectis Sacramentum illud consolatorium Corporis et Sanguinis Christi administrare: ut ab eis accipiatur in memoriam Crucis ejus et Passionis piacularis, per quam solam peccatorum remissionem consequimur, et regni cœlorum efficimur participes. Quare oportet nos Deo Omnipotenti, Patri cœlesti nostro,

ideo humiliter et ex animo gratias agere, quia Filium suum Salvatorem nostrum Jesum Christum dedit, non solum ut pro nobis moreretur, sed ut nobis pabulum spirituale fieret in sacrosancto illo Sacramento. Quod cum digne accipientibus res tam divina sit, tam consolatoria, iis autem, qui indigne accipere audeant, tam periculosa: meum officium est vos cohortari, ut interea vobiscum reputetis, quanta sit sacrosancti illius Mysterii dignitas, quantum in ejusdem indigna participatione periculum: et ut conscientias vestras, non leviter, nec more hypocritarum coram Deo, sed ita penitus inspiciatis et exploretis, ut vos ad tam cœleste convivium in sanctitate accedentes, et nuptiali illa veste quam in Sacra Scriptura requirit indutos, accipiat Deus ut dignos qui Mensæ illius sacræ fiatis participes.

Quod ut fiat, hæc ineunda est ratio. Imprimis ad normam præceptorum Dei mores vestros exploretis: et in quo intellexeritis vos, voluntate, verbo, aut opere offendisse, in eo iniquitatem vestram flebiliter coram Deo agnoscatis, ita tamen ut certo sit vobis propositum vitam melius instituere. Quod si peccata vestra ea esse deprehenderitis quæ non solum Deo, sed etiam proximis offensioni sint, tum vos oportebit iis vosmetipsos reconciliare, et paratos esse pro virili satisfacere *pro omnibus* injuriis alii *cuicumque* per vos illatis, et aliis similiter suas contra vos offensas condonare, sicut et vos pro vestris a Deo veniam impetrare velitis: Quod nisi fiat, ad hoc tantum valet sacræ Communionis participatio, ut condemnationem vestram adaugeat. Quare siquis vestri blasphemus sit, si verbi Dei adversarius vel obtrectator, si adulterii vel malitiæ, vel invidiæ, vel alius cujusvis peccati gravioris sit reus, aut propter peccata pœnitenter doleat, aut ab illa sacra Mensa se abstineat.

Quia autem necesse est, ut ad sacram Communionem nemo accedat, nisi qui Divinæ misericordiæ plenam fiduciam habeat et tranquillam conscientiam: siquis vestri conscientiam suam hisce rationibus sedare nequeat, sed plus solatii desideret, vel consilii, ad me se conferat aut ad aliquem alium verbi Dei Ministrum, et dolorem suum detegat: ut istum accipiat spirituale consilium et admonitionem, quæ conscientiam suam tranquillare et omnes dubitationes scrupulosque auferre valeant.

Sive, si quando Populum Sacram Communionem negligere perspexerit, loco præcedentis hanc sequentem faciat Exhortationem.

DILECTISSIMI fratres, die —— propositum habeo, Dei gratia, Cœnam Dominicam celebrare: ad quam, pro Deo, vos omnes voco qui adestis, et propter Dominum

Jesum Christum obsecro, ne ad eam, tam amanter a Deo ipso vocati, venire adnuatis. Non ignoratis quam molestum sit et inhumanum, quod, cum quis magnificum apparaverit convivium, et mensam suam adeo epulis instruxerit ut nihil desit nisi ut convivæ accumbant, ipsi qui vocati sunt tam temere quam ingrate negent se affuturos. Quis vestrum, si secum eo pacto ageretur, non succenseret? Quis non gravem injuriam sibi factum putaret? Quamobrem, dilectissimi in Christo, caveatis, quæso, ne, sacram hanc Cœnam devitantes, contra vos indignationem Dei commoveatis. Facile est quidem dictu, Nolo communicare, nam quominus hoc faciam mundana negotia prohibent. Non tamen ita facile coram Deo accipiuntur hujusmodi excusationes. Si quis dicat, Accedere nonaudeo, quia graviter peccavi: cur, quæso, non se corrigit, et mores emendat? Nonne vos pudet, Deo vocante, negare vos affuturos? An vos, quando ad Deum redeundum est, excusabitis? An vos minus paratos esse profitebimini? Vobiscum diligenter reputetis, quam nihil apud Deum valeant hujusmodi fictæ excusationes. Qui convivium illud in Evangelio ideo recusarunt, quia villam emperunt, aut juga boum probare voluerunt, aut uxores duxerunt, non ob hæc excusati habiti sunt, sed cœlesti convivio indigni. Vos igitur, pro officio meo in Nomine Dei voco, pro Christo vos invito, et propter salutem vestram adhortor, ut hujus sacræ Communionis sitis participes. Cum enim Filius Dei non dedignatus sit animam suam pro salute vestra in Cruce moriendo ponere, oportet vos in memoriam sacrificii mortis ejus, sicut ipse jussit, Communionem accipere. Quod si negligitis, considerate vobiscum quantam injuriam Deo inferatis, et quam grave supplicium ob hoc vobis immineat, dum a Mensa Dominica obstinate vos continetis, sejungitisque a fratribus, qui ut epulis illis cœlestibus vescantur conveniunt. Quæ si serio perpendatis, Dei gratia meliora sentietis: quod ut fiat, Deo Omnipotenti, Patri nostri cœlesti, supplicare non desinemus.

Cum celebranda est Communio, hanc Exhortationem recitet Sacerdos.

VOS, dilectissimi in Domino, qui vultis ad Sacram Communionem Corporis et Sanguinis Christi Salvatoris nostri accedere, considerare oportet quomodo Beatus Paulus omnes cohortatur, ut prius se probent et inspiciant quam de Pane illo edere, et de Calice illo bibere, audeant. Nam sicut admodum salutare est pœnitenti corde et viva fide sacro-

sanctum illud percipere Sacramentum; ita etiam idem indigne accipientibus grave est periculum. Dijudicate ergo vosmetipsos, fratres, ne a Domino judicemini: pœniteat vos serio peccatorum præteritorum: in Christo Salvatore constantissime confidite: mores vestros corrigite: erga omnes perfectam habete charitatem: ita enim digni eritis qui istorum Mysteriorum sacrorum sitis participes. Sed et ante omnia necesse est ut Deo, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, toto cordis affectu gratias humiliter agatis, quod mundum redemit per Passionem et Mortem Christi Salvatoris nostri, Dei et Hominis, qui humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter nos miseros peccatores, qui in tenebris et mortis umbra jacebamus: ut nos Dei filios efficeret, et ad vitam æternam exaltaret. Et ut semper memores essemus ineffabilis illius charitatis Magistri nostri et unici Salvatoris, Jesu Christi, pro nobis ita mortui, et beneficiorum innumerabilium quæ per pretiosam Sanguinis sui effusionem nobis comparavit, sancta ipse Mysteria instituit, tanquam amoris sui pignora, et in mortis suæ perpetuam commemor[a]nem, ad insignem nostra[m] infinitam consolationem[.] igitur, cum Patre et Sp[iritu] Sancto, (prout merito d[ebe]mus,) gratias agamus i[n]ficientes; sanctæ ejus vo[lun]tati totos nos subjicia[mus], et ei in vera sanctitat[e] justitia, omnibus di[ebus] vitæ nostræ servire stu[dea]mus. *Amen.*

Deinde Sacerdos alloqu[itur] communicaturos his [ver]bis,

VOS quos vere et [serio] peccatorum vestr[orum] pœnitet, qui erga prox[imos] veram habetis charita[tem,] qui vitam novam instit[uere] decrevistis, mandatis [Dei] obsequendo, et in viis [ejus] posthac ambulando: [cum] fide accedite, ut hoc san[ctum] percipiatis Sacramentu[m ad] vestram consolationem[:] reverenter genuflexi, h[umi]lem vestram Deo O[mni]potenti confessionem fa[cite.]

Deinde fiat hæc gene[ralis] Confessio, a Sacer[dote] cæterisque commu[nica]turis; humiliter g[enu]flexis.

OMNIPOTENS I[Deus,] Pater Domini n[ostri] Jesu Christi, Conditor [om]nium rerum, Omnium h[ominum]

num judex: Confitemur et deploramus multiplicia peccata et delicta nostra, Quæ subinde impie admisimus, Cogitatione, verbo, et opere, Contra Divinam Majestatem tuam, Provocantes adversus nos justissimam iram et indignationem tuam. Serio nos pœnitet, Et ex animo dolemus ob has prævaricationes nostras: Quarum recordatio nobis acerba est, Onus intolerabile. Miserere nostri, Miserere nostri, Pater misericors; Propter Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, Quod præteritum est nobis condona: Et concede ut semper posthac Tibi in novitate vitæ Serviamus et placeamus, Ad honorem et gloriam Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos, (vel Episcopus, si adsit,) se erigat, et ad Populum conversus, dicat,

OMNIPOTENS Deus, Pater noster cœlestis, qui pro magna misericordia sua omnibus ex animo pœnitentibus, ad se cum vera fide conversis, peccatorum remissionem est pollicitus: Misereatur vestri, et dimittat vobis omnia peccata vestra: liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni bono, et ad vitam perducat æternam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Sacerdos dicat,

AUDITE quam consolatoriis verbis omnes ad se veraciter conversos alloquitur Christus Salvator noster.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. S. Matt. xi. 28.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. S. Joan. iii. 16.

Audite etiam quid dicat Sanctus Paulus.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1 Tim. i. 15.

Audite etiam quid dicat Sanctus Joannes.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1 S. Joan. ii. 1, 2.

Postea pergat Sacerdos, dicens,

SURSUM corda.

Resp. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Resp. Dignum et justum est.

Deinde Sacerdos, ad Mensam Dominicam conversus, dicat,

VERE dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater* omnipotens, æterne Deus.

* [Hæc verba sancte, Pater in Dominica SS. Trinitatis omittenda sunt.]

Hic sequatur Propria Præfatio de Tempore, si quæ assignata sit; alioqui statim dicatur vel cantetur a Sacerdote et Populo,

ET ideo cum Angelis et Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, Nomen tuum laudamus, et hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes,

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt cœli et terra gloria tua Gloria tibi, Domine altissime. *Amen.*

PRÆFATIONES PROPRIÆ.

In Die Nativitatis Domini et septem diebus sequentibus.

QUIA dedisti Jesum Christum, Filium tuum unicum, ut hoc tempore pro nobis nasceretur: qui, operante Spiritu Sancto, verus Homo factus est ex substantia Virginis Mariæ matris suæ: idque sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Paschæ, et septem diebus sequentibus.

SED te potissimum prædicare, propter Resurrectionem gloriosam Filii tui Jesu Christi Domini nostri: Ipse enim verus est Agnus Paschalis, qui pro nobis immolatus abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo nobis æternam reparavit. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Ascensionis Domini et septem diebus sequentibus.

PER dilectissimum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum; qui post gloriosissimam Resurrectionem suam omnibus Apostolis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut pararet nobis locum: ut ubi ipse est, eo et nos ascenderemus, et cum ipso in gloria regnaremus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Die Pentecostes, et sex diebus sequentibus.

PER Jesum Christum Dominum nostrum; secundum cujus veracem promissionem Spiritus Sanctus hoc tempore, facto repente sono tanquam advenientis spiritus vehementis, de cœlo in similitudine linguarum tanquam ignis, in Apostolos descendit, ut eos doceret, et in omnem veritatem duceret: quibus etiam contulit et diversarum donum linguarum, et fortitudinem qua cum ferventi zelo omnes gentes constanter evangelizarent: quo factum est ut nos ex tenebris erroris in claram lucem et veram cognitionem tui, et Filii tui Jesu Christi, educti essemus. Et ideo cum Angelis, &c.

In Festo tantum SS. Trinitatis, dicatur.

QUI unus es Deus, unus es Dominus; non in unius singularitate Personæ, sed in unius Trinitate Substantiæ. Quod enim de Patris gloria credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Et ideo cum Angelis, &c.

Sive, verbis Sancte, Pater in exordio communi retentis, dicatur.

PRO pretiosa Morte et meritis Filii tui Jesu Christi Domini nostri, et pro Sancti Spiritus Paracliti missione ad nos; Qui Tecum Unum sunt in æterna Tua Deitate. Et ideo cum Angelis, &c.

Deinde Sacerdos, ad Mensam Dominicam genuflexus, hanc sequentem dicat Orationem nomine eorum omnium qui communicare volunt.

NON justitiæ nostræ, misericors Domine, sed multitudinis magnarum miserationum tuarum fiducia, ad hanc Mensam tuam accedere audemus. Non sumus digni qui vel micas sub Mensa tua colligamus. Tu autem idem ille es Dominus, cui proprium est semper misereri: Tribuas igitur nobis,

benigne Domine, Carnem dilecti Filii tui Jesu Christi ita manducare, et Sanguinem ejus bibere, ut corpora nostra immunda per Corpus ejus mundentur, et animæ per pretiosissimum ejus Sanguinem laventur, et nos perpetuo habitemus in eo, et ipse in nobis. *Amen.*

Cum Sacerdos, stans ante Mensam, ita Panem et Vinum disposuit ut promptius et decentius coram Populo Panem frangere, et in manus suas Calicem accipere possit, dicat Orationem Consecrationis, ut sequitur.

OMNIS gloria tibi, Omnipotens Deus, Pater noster cœlestis, quia tu, pro misericordiæ tuæ pietate, unicum Filium tuum Jesum Christum dedisti, ut mortem in Cruce pateretur pro nostra redemptione; qui ibi (unica sui ipsius oblatione semel facta) plenum, perfectum, et sufficiens sacrificium, oblationem et satisfactionem pro totius mundi peccatis fecit; et instituit, et in sancto Evangelio suo nobis præcepit observare, pretiosæ mortis illius memoriam, usque dum rediret, perpetuam:

NAM in qua nocte tradebatur, (Hic Sacerdos in manus suas accipiat Patenam:) **accepit Panem; et tibi gratias agens,** (Hic frangat Panem:) **fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite et manducate,** (Hic omni Pani manum imponat:) **Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens** (Hic in manum suam Calicem accipiat:) **Calicem; item tibi gratias agens, dedit illis, dicens Bibite ex eo omnes;** (Hic manum imponat cuique Vasi, sive Calici sive Lagenæ, quo insit Vini aliquod consecrandi:) Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

OBLATIO.

UNDE et humiles, Domine Pater cœlestis, nos tui servi, secundum institutionem dilecti Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi, hic coram Divina Majestate tua, de his tuis sanctis donis ac datis quæ nunc offerimus tibi, me

moriam celebramus et facimus quam nobis Filius tuus facere præcepit: memores ejusdem tam beatæ passionis et pretiosæ mortis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ Ascensionis; Tibi gratias ex animo agentes propter innumerabilia beneficia nobis inde collata. Et supplices te rogamus, misericors Pater, exaudi nos, et, pro tua bonitate omnipotente, hæc tua munera et creaturas panis et vini Sancto tuo Spiritu benedicere et sanctificare digneris; ut nos ea percipientes secundum sanctam Filii tui Jesu Christi Salvatoris nostri institutionem, in mortis et passionis ejus memoriam participes simus beatissimi Corporis et Sanguinis ejus. Intentius etiam rogamus paternam tuam bonitatem ut hoc nostrum laudis et gratiarum sacrificium benignus accipias; humillime supplicantes ut propter merita et mortem Filii tui Jesu Christi, et per fidem in Sanguine ipsius, et nos et universa Ecclesia tua peccatorum remissionem et cætera omnia passionis ejus beneficia consequamur. Et hic tibi, Domine, offerimus et exhibemus nosmetipsos animas et corpora nostra, tibi hostiam rationabilem, sanctam, et viventem; supplices te rogantes, ut nos et cæteri omnes qui hujus sacræ Communionis participes futuri sint pretiosissimum Corpus et Sanguinem Filii tui Jesu Christi digne accipiant, omni benedictione cœlesti et gratia tua repleantur, et unum fiant corpus cum eo, ut ipse in eis habitet, et ei in ipso. Et quamvis propter multiplicia peccata nostra non digni simus qui ullum sacrificium tibi offeramus, hanc tamen debitam oblationem servitutis nostræ, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor accipias; per Jesum Christum Dominum nostrum; Per quem et cum quo est tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

INVOCATIO.

Hic cantetur Hymnus, vel Hymni alicujus Portio, ex Hymnis Selectis pro Festis et Jejuniis, &c.

Deinde Sacerdos Communionem sub utraque specie ipse primus sumat, eamque postea Episcopis, Presbyteris, et Diaconis,

(siqui adsint,) similiter tradat, et postea Populo etiam deinceps, in manus suas, omnibus reverenter genuflexis. Et cum Panem tradit, dicat,

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam. Accipe et manduca hoc in memoriam quod Christus mortuus est pro te, et in corde tuo, per fidem, vescere illo cum gratiarum actione.

Et Minister qui Calicem tradit, dicat,

SANGUIS Domini nostri Jesu Christi, qui pro te effusus est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam. Bibe hoc in memoriam quod Sanguis Christi effusus est pro te, et gratias age.

Si consumptus fuerit consecratus Panis aut Vinum priusquam omnes communicaverint, Sacerdos plus consecret secundum formam antea præscriptam, incipiens a verbis Omnis gloria tibi, Omnipotens Deus, usque ad hæc verba Participes simus beatissimi Corporis et Sanguinis ejus.

Cum omnes communicaverint, Minister ad Mensam Dominicam reversus, quod reliquum est Elementorum consecratorum in ea reverenter deponat, et mundo linteamine cooperiat.

Deinde Minister dicat Orationem Dominicam, Populo post eum singulas petitiones recitante.

PATER noster, qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, Sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra. Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo: Quia tuum est regnum, Potentia, et gloria, In sæcula sæculorum. Amen.

Postea dicatur quod sequitur.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tibi toto cordis affectu gratias agimus, quia nos hæc sancta Mysteria recte accipientes cibo spirituali pretiosissimi Corporis et Sanguinis Filii tui Salvatoris nostri Jesu Christi pascere dignatus es; et per hoc nos certiores

facere de gratia et bonitate tua erga nos, et quod sumus vera membra corpori Filii tui mystico, fidelium omnium beatæ societati, incorporata, et hæredes secundum spem æterni regni tui, propter merita pretiosissimæ mortis et passionis dilecti Filii tui. Teque, cœlestis Pater, supplices rogamus, ut gratiæ tuæ subsidiis adjuti in sancta illa societate perseveremus, et ea omnia bona faciamus opera, quæ præparasti ut in illis ambulemus. Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui sit tecum, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

Tunc dicatur vel cantetur, omnibus se erigentibus, Gloria in Excelsis, vel aliquis conveniens Hymnus ex Hymnis Selectis.

GLORIA in excelsis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili unigenite, Jesu Christe; Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. *Amen.*

Deinde Sacerdos (vel Episcopus, si adsit) Populum hac Benedictione dimittat.

PAX Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in scientia et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri: Et benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Orationes quæ post Orationem Matutinarum, Vesperarum, vel Communionis, pro arbitrio Ministri, dici possunt.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum

in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, præsenti misericordiæ tuæ semper protegantur auxilio. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PRÆSTA, quæsumus, Omnipotens Deus, ut verba quæ hodie auribus exterius accepimus, ita gratia tua cordibus nostris interius inserantur, ut in nobis bonæ vitæ fructum proferant, ad honorem et laudem Nominis tui. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur, quatenus sanctum Nomen tuum glorificemus, et misericordia tua vitam æternam consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, totius sapientiæ fons, cui patet quod opus sit nobis anteaquam petamus, et nostra in petendo ignorantia: Miserere, quæsumus, infirmitatum nostrarum; et quæ pro indignitate nostra petere non audemus, et pro cæcitate nostra non possumus, tu nobis propitius concedere digneris, propter dignitatem Filii tui Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

OMNIPOTENS Deus, qui in Nomine Filii tui rogantium petitiones exaudire promisisti; Aures tuas, quæsumus, nobis benignus inclina, qui jam preces et supplicationes nostras coram te fecimus: et concede ut quæ secundum voluntatem tuam fideliter rogavimus, efficaciter consequamur, ad subsidium necessitatis nostræ et ad illustrandam gloriam tuam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

In Dominicis cæterisque diebus festis, (si nulla sit Concio vel Communio,) ea omnia dicantur quæ in Ordine Communionis præscripta sunt, usque ad finem Evangelii, cum Benedictione ad absolvendum Officium.

Item, Siquid consecrati Panis aut Vini reliquum fuerit. Communione peracta, non ex Ecclesia auferatur, sed statim post Benedictionem Minister aliique Communicantes id reverenter manducent et bibant.